



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ivsti Baronii Veteracastrensis SS. Th. Et I. V. D.
III[ustrissi]mo Arch[iepisco]po Moguntino à Consilijs.
Epistolarvm Sacrarvm Ad Pontificem Max. Et Amplissimos
Cardinales &c. Libri VI**

Baronius, Justus

Mogvntiae, 1605

Liber II.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70614)



IVSTI BARONII
 VETERACASTRENSIS
 EPISTOLARVM SA-
 CRARVM
 LIBER II.

EPISTOLA I.

CLEMENS PAPA VIII.

DILECTO FILIO

IVSTO BARONIO VETERA-
 castrensi.

*Dilecte Fili, Salutem & Apostolicam
 benedictionem.*

PERLECTIS litteris tu-
 is, quas ad nos dedisti,
 de tua ad fidem Catho-
 licam conuersione, cō-
 mota sunt viscera nostra, super filio
 nostro è regione longinqua, vbi a fa- a Amos 8 11
 mes ac ^b tenebra, & umbra mortis, ad do- b Esai. 9. 2.
 mum paternam redeunte, hoc est, c Symb. Ro.
 ad ^c vnā sanctam Catholicam & Apo- Vide Conci.
 stoli. T. id. sess. 3.

D 5

stoli.

1. Tim. 3. 15. *stolicam Ecclesiam, quæ est^d domus DEI*
15. *vincentis, columna & firmamentum ve-*
ritatis. Et quamvis corpore longè à
1. Eph. 4. 3. nobis absis, tamen *c* in unitate fidei, &
Hieron. E- *in vinculo charitatis, & in spiritu Chri-*
pist. 6. ad *sti, qui in semetipso etiam disunctis-*
Florent. *sima iungit atque conglutinat, te ut*
f Luc. 15. 20. *præsentem intuebamur, & cecidimus*
super collum tuum, teque non iam ut
alienum, sed ut filium, non ut mem-
brum Diaboli, sed ut membrum Chri-
sti & nostrum paterno affectu com-
plexi sumus, gaudio spirituali exul-
tantes in Domino, quia filius noster,
g Luc. 15. 31. *filius Ecclesiæ^e, qui perierat, inuentus*
32. *est, & qui mortuus erat, reuixit. h* Bene-
h 2. Cor. 1. 3. *dictus Deus & Pater Domini nostri*
Eph. 1. 3. *Iesu Christi, quiⁱ ostendit in te abundan-*
1. Pet. 1. 3. *tes diuitias gratiæ & misericordiæ suæ,*
1. Eph. 2. 7. *qui te densissimis errorum atq; hæ-*
2. Ephes. 2. 5. *relum tenebris obcæcatum, & k* pla-
nè mortuum, secundum interiorem
hominem, excitauit, illuminauit, &
conuiuificauit in CHRISTO, &
1. Eph. 1. 17. *dedit tibi^l spiritum sapientiæ, & reuela-*
tionis,

tionis, in agnitione eius, ut cognosce-
 res, & intelligeres, quia ^m unus est ^m Ephes. 4.
 DEVS, vna fides, vna Ecclesia, non in
 vnius provincie angulum coniecta.
 sed toto terrarum orbe diffusa, non
 in penetralibus, & locis tenebricosis ^m Matth. 24
 abdita, sed vt ^o ciuitas Dei supra mon- ^{26.}
 tem posita, non heri aut nudius terti- ^{o. Matth. 5.}
 us excogitata, à paucis hominibus ^{15.}
 cupidis, elatis, superbis ^p qui deserē- ^p Vincens.
 tes antiquitatem, vniuersitatem, consen- ^m in common.
 sum, & abnegantes veritatē à Chri- ^{cap 2.}
 sto traditam, ab Apostolis promul-
 gatam, à fortissimis Martyribus san-
 guine confirmatam, à sacrosanctis
 œcumenicis Concilijs declaratam,
 à sanctis Patribus per tot seculorum
 ætates vnanimi, atq; admirabili sen-
 su & consensu prædicatam, seiplos
 solos horribili superbia & intolera-
 bili audacia omnibus præferentes,
 & conuerterunt se à fidei veritate ad fabu- ^{1. 2. Tim. 4.}
 las, & adorauerunt idola manuum
 suarum, nimirum hæreses & impie-
 tates suas, quibus dementarunt mul-
 tos,

ros, & quod sine magno dolore commemorari non potest, animas pretioso CHRISTI sanguine redēptas, secum abduxerūt in damnationem atque interitum sempiternum. Iterum igitur & sæpius ^{12. Cor. 13.} benedictus Deus, & ^{1. Pa. 3. 9.} Pater misericordiarum, qui ^{1. Apoc. 3. 20.} ex tenebris illis eduxit te in admirabile lumē suum, & benedictus tu, fili, qui diuinę vocationi & Spiritui Sancto non resististi, sed ^{1. Psal. 20. 4.} aperuisti cor tuum pulchri DEO, te quę ^{2. Luc. 9. 62.} prouenienti in benedictionibus dulcedinis, quę siuisti & inuenisti sapientiam, veritatem, vitam, tene eam, nec dimittas, & quę Deo auctore fortiter inchoasti, eodem adiutore constanter perfice, ^{9. Math. 10. 37.} *misisti manum ad aratrum, ne respicias retrò.* Licet te ciues, & necessarii tui, vt scribis, irrideant, detestētur, proferant, ne te vlllo humano affectu aut timore, aut terrenis & carnalibus rationibus à tuo sancto proposito retardari, nedum dimoueri patiaris. Vitę auctor clamat ad te, *Qui amat*

amat patrem aut matrem plus quam me,
 non est me dignus. Etiam si parentes,
 patria, cognati, amici deserent &
 derelinquent te, Dominus & Pater
 omnium assumet te, & nos, qui illius
 vicē in terris, im̄. riri licet, gerimus
 assumemus. Vt in illi exemplū tuū
 imitentur, sed si² magis tenebras di- *a. Luc. 3. 19*
 ligūt, quā lucem, illi miseri in pec-
 cato suo morientur. tu a fuge de me *a. Apocal. 18.*
 dio Babylonis, & ^bsalua animam tuam, *b. Gen. 19. 17.*
^cpro qua nulla cōmutatio dari potest. Ne *c. Matth. 16.*
 ergō timeas, te enim tāquam ouem *26.*
 perditam, vt scribis, ad ouile Christi
 pullantem, non solum non repelle-
 mus, sed vltro accersimus, & iā nunc
 inuitamus, & apertis brachijs expe-
 ctamus, vt complectamur, & perfe-
 ctē introducamus intra gremium
 sanctæ matris Ecclesiæ, ^dquæ te parit *d. Gal. 4. 19.*
 rit, donec Christus formetur in te. Veni
 ad nos, veni ad urbem Romam, veni
 ad Ecclesiam matrem, & magistram
 omnium Ecclesiarum, à qua totius
 Ecclesiæ Catholicæ vnitas dimanat.
 vbi

vbi domicilium religionis, vbi fidēi
 Petta, & Apostolica illa successio à
 beatissimis Apostolis Petro & Pau-
 lo, vsque ad humilitatem nostram;
 quę omnes hæreses conuicit & pro-
 sternit: nos studijs tuis suffragabi-
 mur, eaque, vt expetis, sustentabi-
 mus, vt multis prodesse possis, neq;
 patiemur, vt quę ad vitam, & victū
 necessaria sūt desideres. Ea enim ti-
 bi sumministrari iubebimus, tuisq;
 commodis benignè consulemus; o-
 ni denique amoris significatione te
 in Domino prosequemur. Cuius
 nostrę in te voluntatis, has nostras
 litteras testes, & veluti pignus esse
 volumus. Deus autē omnis gratiæ,
Philip. 1. 6. *qui opus suum in te incepit, ipse absoluat
 & perficiat, in laudem & gloriam no-
 minis sui, vsq; in diem Christi, Amen.*
 Datum Romę apud Sanctum Pe-
 trum, sub annulo piscatoris, die 17.
 Ianuarij. M. DCI. Pontificatus no-
 stri Anno Nonno.

Siluius Antonianus Card.

EPI-

EPISTOLA II.

CINTHIVS ALDOBRANDI-
nus S. R. E. Cardina-
lis

IVSTO BARONIO VETE-
racastrensi. S.

Ornatissime Domine.

QVAs literas ad S. D. N. superiori men-
se Decemb. dedisti, eas ego quoq; per-
legi, & quidem cum incredibili quadam a-
nimi mei voluptate. Erant enim huiusmo-
di, vt facilè apparet, non potuisse tam
præclara perscribi, nisi ab eo, cuius mentē
manumque diuinus afflatus iam regeret,
penitusque occuparet. Tantam felicitatem
tibi ex animo gratulor, Deum Opt. Maxim.
precatus, vt gloriosam hanc victoriam, quā
de te ipso iam retulisti, non tibi solum, sed
& alijs quàm plurimis velit esse salutarem.
Quod quidem omninò fore confidimus,
præsertim si, quod polliceris, in eam curam
sedulo deinceps incubueris, vt rectam ve-
ritatis viam aberrantibus pio officio de-
monstres. De paterna S^{tis}. Sæ. erga te cari-
tate, nihil atinet me plura scribere, quan-
do quidem eam cumulatè exprimit *Breue*
Apostolicum, quod mitto. De me priuatim
omnia

84 IUSTI BARONII VETERÆ

omnia tibi pollicearis velim, quæ ab homi-
ne tui amantissimo proficisci possunt. Vale
feliciter, & qui iam eruditionis laude (vt vi-
deo) flores, ad solidam ex vera pietate glo-
riam, qua nihil illustri^o, totis viribus, quod
facis, contende. Romæ die 20. Ianuarij. M.
DCI.

EPISTOLA III.

CÆSAR BARONIVS SORAN-
nus S. R. E. Cardina-
lis.

IUSTO BARONIO VETE-
racastrensi S.

Amantissime Frater.

VT perlegi literas tuas, Deo Opt. Max.
a Ps. 144. 9. ^a cuius sunt miserationes (vt cecinit Da-
uid) *b 1. Pet. 2. 9.* ^b e tenebris te vocauerit in admira-
bile lumen suum. Hoc beneficio nullū ma-
ius, gratia nulla potētior vel utilior, ob idq;
custodienda cautius, & sollicitius conser-
uanda, aliudque non tam generoso victori
carmen sit triumphale canendum, quàm i-
c Ephef. 5. dem ipse monendus verbis Apostoli: ^c Vi-
36. *d Colof. 4. 5.* ^d dete quomodo caute ambuletis, non quasi insi-
pientes, sed vt sapientes, redimentes tempus,
quoniam dies mali sunt; & cohortandus ver-
bis

bis Dominicis: ^d *Ambulate dum lucem ha-* ^{d Ioan. 12.}
beris, ut non vos tenebrae comprehendant: & ^{35.}
dum lucem habetis, credite in lucem, ut filij lu-
cis sitis. ^e Victus semel Diabolus, maiori im- ^{e Cypr de G-}
 petu solet assurgere, & validioribus viribus ^{nt Eccles.}
 victorem appetere, prout nos exemplo il- ^{cap 12.}
 lo docuit Dominus, de *Spiritu nequam,* ^{f Matth. 12}
qui cum exit ab homine, non quiescit, sed auxilia- ^{43 & seq.}
res copias colligit, assumens septem alios spiritus
nequiores se, ut quam dereliquit ad tempus
munitioem inuadat, aut dolis expugnet.
 & *Circuit namque ille (monet Petrus) tan-* ^{g 1 Pet. 5. 8.}
quam leo rugiens, quarens quem deuoret, cui ^{9.}
resistite fortes in fide. Quærit fugitiuum su-
 um, militantem iam in castris Ecclesiæ, re-
 petit transfugam suum, ne prodatur artes su-
 as & consilia sua faciat manifesta, valde ti-
 mens, ne rursus ^h *Saulus* in Ecclesiæ Catho- ^{h Act. 9.}
 licæ conflatorio igne diuini spiritus con- ^{& seq.}
 fletur in *Paulum*, & fulmen prodeat verita-
 tis, telum mendacij, quo ipse ad debellan-
 das gentes est usus. Tu verò strenue miles
 Christi, caue ne semel sumptum scutum fi-
 dei abijcias indecorè; magis autem teipso
 potentior indies euadens, ⁱ teipsum supera, ^{i Hieron. E-}
 teipsum æmulans, ut erubescas non longè ^{p. 13 ad}
 maiora præstare sub Christo duce miles ad- ^{Paulon. de}
 scriptus, quàm sub principe tenebrarum ^{Instit. Mo-}
 opera exhibueris tenebrarum. ^{nachi.}

Ista ego ad te commilito tuus, cupidissi-

E mus

mus gloriæ tuæ, absens corpore clamo, præ-
 & r. Corinth. 49. sens spiritu auribus ingero. ^k *Speſtaculum*
 iam factus Deo, angelis, & hominibus, inter
 duos tuos Agonothetas, Cyprianum & Au-
 gustinum, in certaminis campum ingreſſus,
 fauente Deo, ministrantibus Angelis, coad-
 iuuantibus fratribus, sanctis monentibus
 & opem ferentibus, nihil est tibi timendum,
 148. s. 41. sed gaudendum; magis verò ^l *exultandum,*
 si pro fide Catholica, ipsa veritate tuenda, ali-
 quid pati dignus inuentus fueris. Reddidi li-
 teras tuas Summo Pontifici, audit libenter
 iam diu perditæ balatus ouis, quam & iudi-
 cavit dignam, vocem audire pastoris, Apo-
 stolicis te literis alloquens, quibus velut ex-
 tentis brachijs te complectitur, & quot
 m Luc. 15. s. 6. characteribus, tot petit osculis, ^m *imponens su-*
 per humeros suos, &c. quem semper verè pa-
 storem & patrem experieris. Vale. Romæ.
 20. Ianuar. Anno Domini. M. DCI.

EPISTOLA IV.

ROBERTVS BELLARMINVS

 Politianus, S. R. E. Cardi-
 nalis

 IVSTO BARONIO VETERA-
 castrensi S.

Clarissime Domine.

QVOD gratia Spiritus Sancti cor tuum
 potenti sua virtute ad veram lucem a-
 spici-

spiciendam & amandam conuerterit, &
 lætor ex animo, & gratias ^a Patri luminum, ^a *Iacob. 8.*
 quantas possum, ago. Quod verò ad hoc ef-^{17.}
 ficiendum scriptis meis prouidentia diuina
 vti voluerit, exulto. mihi crede, pro fructu,
 sed inani non efferor gloria. Satis enim im-
 perfectum meum noui: neq; ignoro, ^b *vix. 62. Cor. 12.*
tutem Dei, vt Apostolus ait, *in infirmitate*^c
perfici, id est, tantò illustrius Dei potenti-
 enitescere, quantò per instrumenta infir-
 miora operatur. Magnum Dei donum est
 agnitio veræ Ecclesiæ, in qua sola reconci-
 liantur homines Deo, & spem solidam cõ-
 cipiunt adipiscendæ salutis æternæ. Hæc
 videlicet est illa ^c *pretiosissima margarita*, ^c *Matth. 13.*
quam qui inuenit, venditis omnibus compara-^{46.}
re studet. Neque metuendum est, ne si pro-
 pter fidẽ patrimoniũ amittam⁹, fame nobis
 & frigore pereundum sit, cum Dominus
 dicat, ^d *Querite primum regnum Dei, & iu-* ^d *Matth. 6.*
sticiam eius, & hæc omnia adyicientur vobis. ^{33.}
 Sed etiã si ^e *rapinam bonõrum nostrõrum*, ^e *Heb. 10 34*
 vt Apostoli verbis vtar, sine spe talia rursus
 acquirendi, pati nos oporteret, non ideò
 minore ardore animi in veræ fidei professi-
 onem & prædicationem incumbere debe-
 remus. ^f *Non enim sunt condignæ passionēs* ^f *Rom 8. 18.*
huius temporis ad futuram gloriam; quæ re-
uelabitur in nobis. Pontifex Maximus opti-
mam voluntatem erga te gerit, & breui da-

bit operam, vt res necessariæ tibi & tuis ad vitam honestè transigendam non desint. Sed si fortè diutius res differretur, quàm par esset, ob distantiam regionum, & plurima negotia, quibus Optimus Pontifex quotidie penè obruitur, velim ad mentem reuoces, quod *Moses* populo in angustijs posito dicebat, *Tentat vos Dominus Deus vester, vt sciat an diligatis eum.* Ego pro mea virili non deero, tum precibus apud Deum, *vt^h opus bonum, quod in te cœpit, ipse perficiat,* tum apud homines, vt temporalia subministrent ijs, quos à Patre cœlesti ad regnū æternum vocari vident. Vale Clarissime vir,ⁱ confortare in Domino, viriliter age,^k omnem sollicitudinem tuam in Deum proycito, *quoniam ipsi est cura de nobis.* Romæ die 18. Ianuar. Anno M. DCI.

EPISTOLA V.

ILL^{mo} ET REV^{mo} D. CÆSARI
Baronio Sorano, S.R.E. Cardinali

IVSTVS BARONIVS VETERASTRENSIS S.

AD XVI. Calend. Martij, cum properè SPIRAM vocatus aduolassem, redditæ mihi sunt litteræ tuæ, AMPL^{mc}. CARDINALIS:

LIS: reddite item Pontificis Maximi, amo-
 ris, sapientiæ & consolationis utræq; ple-
 nissimæ. Quibus quia coram respondere
 constitui, nihil nunc addo, nisi id, quod ma-
 ximè desideratis: ^{a Horat. li.} *Iustum & tenacem propo-*
sui virum haud ita parui cœlestis gratiæ ra- ^{s. cambr. Ode}
 dios, aut Sacrosanctæ Cômunionis Ecclesia- ^{s.}
 sticæ fœdus facere, vt vel precum lenocini-
 is, vel minarum terroribus aliorum vel *la-*
tum pilum se patiatur dimoueri. Est mihi a-
 lia veritatis, alia conscientiæ religio. Nec
 diffiteor hostes vndiquaque instare acres.
 Sed cui semper in ore ac vultu terribilis
 illa ^{b D. Hiero.} *D. Hieronymi tuba: siue comedam in-*
quit, siue bibam, siue aliqua aliud faciam, ^{super Matt.}
semper vox illa videtur sonare in auribus me-
 is: SVRGITE MORTVI, VENITE AD IVDICI-
 VM, facilè omnes hostes contemnit, facilè
 in dentes illius etiam ferocissimi ^{c Leonis ir-} ^{1. Pet. 5. 8. 9}
 ruit, quem tu rectè dies noctesque prædas
 agere, ac fugitios suos quærere scribis.
 Sed quis hac de re sensus meus sit, cogno-
 sces plenius in vrbe: Cognosces etiam ali-
 quantulum ex subnexa oratiuncula, quam
 hisce diebus lectione *Saturnaliorum* LIPSI
 calens in recentes *Myrmillones* nostros &
Andabatas hæreticos effudi. Leges obiter
 pransus ad fenestram. Operæ nihil habet,
 iugenij perparum, fateor. At pietatis ali-
 quantum, cuius tibi à me testem esse volo.

Vale, ac perpetuum clientem tuum precibus præsidijque vndiquaq; fulci. Heidelberg.
Calend. Martij M. DCI.

ORATIO

DE INCREDIBILI DAMNO
GERMANIAE PER HODIER-
nas Hæreses illato: similitudine prisca-
rum gladiatorum illu-
strata.

INTER priscae crudelitatis exempla, inter-
que sanguinaria fauerrimi humani ge-
neris hostis stratagemata, non postremum
sibi locum vendicant *Saturnalia gladiatorum pugnae, ac ludus matutinus Bestiariorum.*
Quorum quemadmodum illi, vel ad de-
functorum manium propitiationem, vel ad
conuiuiorum delectationem, vel ad luxum
& magnificentiae ostentationem, denis, tri-
cenis, aut etiam millenis sæpe paribus, in
foro septis circisive, acutissimo inter sese
ferro concurrentes, de vita decertabant. Ira
hi non benigniori fato, homines vel libe-
ri in prælio capti, vel serui ad hanc lanie-
nam educati, vel *Christiani* denique obfi-
dem morti dediti, ad oblectandos impiorum
hominum animos, oculosque crudelium
tyrannorum, vel populi sanguinem sitien-
tis

*Gladiato-
res.*

Bestiarj.

tis obfaturandos, crudelissimis valentissi-
 mitque bestijs obiecti, aduerso cum illis
 Marte congredi, atq; ab ijs vel mortem vel
 victoriam deportare cogebantur.

Acerbum sanè ac triste spectaculum!
 a quod tãtam cladem vastitiemq; generi hu- a Rufus Lib.
 mano attulit, vt nullus mensis abierit, qui non ps. i. 30
 vicenis aut tricenis capitũ millib⁹ Europa con- turnal. c. 10
 stiterit. Quo nomine nõ sapientiorib⁹ tantũ
 Ethnicis horrore, sed Christianis imprimis
 Imperatoribus tantæ abominationi fuit, vt
 nihil toto suo imperio execrabilius sibi à
 maioribus traditum, nihil maiori cura pro-
 hibendum abrogandumque censuerint,
 quàm dira illa & funesta spectacula, b ubi b Cypr. R.
 homo in hominis voluptatem occidebatur. Ac ps. i. ad
 laudis quidem huius potissima pars Con- Donat.
 stantino Magno adscribenda venit, cuius ad-
 huc in c Cod. lib. 21. Codice sancta hæc lex extat. tit. 43.
*Cruenta spectacula in otio civili & domestica quiete non
 placent. Quapropter omnino gladiatores esse
 prohibemus.*

Sed vide malignissimi hostis nostri frau- Diabolus
 des & astutias. Pro sua insatiabili ad huma- Gladiatura
 num sanguinem hauriendum cupiditate, loco haresce
 præreptam sibi gladiaturæ lanienam dolēs, excitat.
 redintegrata acie, perniciosioribusque ex-
 cogitatis armis, noua mundo munera, no-
 ua spectacula edere cœpit: & tum Patrum,
 tum nostra imprimis memoria Amphithea-

ris hæreseon extractis, talem gladiaturam instituit, qua & corpora & animi hominum perpetuo dolore confecti macerarentur. Perruptis enim Ecclesiæ repagulis, sensibusque hominum à fide & vnitæte pristina deiectis, circos septaque cinxit, quibus omnis illa prisca gladiaturæ facies, mentis errore, & hæreseos furore depugnaret. Atque olim quidem quos huius farinae homines in arenam produxerit, quàm bellè illi suum latrocinando munus exornarint, dicere hic nihil attinet. Nunc hac nostra ætate triplici potissimum manu orbem Christianum depopulatur. Atque alios quidem dedit, ut ita loquar, Boreales, *Lutheri* signa sequentes, sine culta armatura cæstibus tantum pugnantes, atque, ut ille ait, *stipitibus duris, sudibusq; præcussis*. Alios australes & occidentuos *Zwinglio & Caluino* Sacramento obstrictos, politissimisq; & acutissimis instructos telis, ad integram quasi militiam sufficientibus. Alios denique intermedios *Mennone* duce in aquis pyratarum instar prædas agentes, & ut variorum signorū, ita vario quoque ferro pugnantes, præcipuè autem salutari fonte submergentes, quos è Christi nauicula in suas cymbas pellexerunt.

Huius seculi hæreses tripartes.

Lutherani.

d Virg 7.

Aeneid.

Zwingliani

& Caluini

ani.

A sabaprista.

Hæresis ad familias

Gladiato-

vium compa-

rati.

Triplicis hæc gladiatoria manus, ita strenuè passim suum munus exercet, ut totam illam

illam priscam familiam reuixisse putes. Alij enim veluti noui SECVTORES tanto spiritu cum^e rugiente illo leone gregem Domini in *c. 1. Pet. 5. 2.* sequuntur, ac cuspide linguæ mendacis, *9.* massæque plumbea calumniarum innoxios Ecclesiæ præfules ita infestant, vt nemo quisquam eorum effugere furorem possit. Alij tanquam RETIARIJ & LAQVEARIJ tam blandè apertaque facie sophismata sua incautis iniiciunt, vt priusquam hostem obseruarint, damnabili iam errore constrikti, irretiti que teneantur. Alij inhumanorum instar THRECVM ita ad seditiones & fundendum sanguinem assueti sunt, vt cum Catholicorum copia non datur, ipsis fratrib⁹ suis virulentum mucronem imprimant. Alij tanquam ESSEDARIJ & ANDABATÆ, vel calumniarum plaustris insidentes, vel furoris & insanix equis vecti, imperita ac cæca temeritate in medium veritatis Clypeum feruntur, laxisque habenis se & alios in æternam perniciem præcipitant. Tandem his omnibus accedunt quidam veluti MYRMILLONES, HOPLOMACHI & SAMNITES: quorum illis contra veritatē continuū impudentiæ tegimen, id est, *f. Apocalypsi* *f. Apoca 9 2* interprete, *lorica ferrea*: His verò acies nouis doctrinarum insignibus clara, & scuta magnificæ prædicationis auro cælata, & galeæ cristatæ, vt respondeant similitudini

2 Apocal. 9.
7.

locustarum, quas & Iohannes vidit similes equis paratis in prælium, & super capita habentes coronas aureas, faciesque ut facies hominum.

6 Epist. 7.

Horum omnium cædes, vulnera, cadauera, rapinas, quas in omnibus mundi provincijs quotidie agunt & hæctenus egerunt, si quis dextro oculo intueatur, næ ille demum triste ac luctuosum spectaculum videre se fatebitur, omnium quotquot sub sole viuunt oculis deplorandum, & conatu maximo prohibendum. Nam quod olim corporibus hominum in *Spectaculo Meridiano* accidit: id demum hic animis eorundem & spiritibus maiori feritate contingit: ut rectissime cum ^b Seneca exclames: *Quidquid ante pugnatum est, misericordia fuit, nũc omissis nugis mera homicidia sunt. Nihil habet quo tegantur, adictum totis corporibus expositi, nunquam frustra mittunt manum: non galea, non scuto repellitur ferrum. quò munimenta? quò artes? omnia est a mortes mera sunt. Manè leonibus & ursis homines: meridie spectatoribus suis obijciuntur, & victorem in aliam detinent eadem. Exitus pugnantium mors est. Hec sunt dum vacat arena. O veram viamque spectaculorum nostrorum Iconographiam! Quid enim? Hæreticus panoplia Diaboli instructus, fraude, mendacijs, technis ac blasphemijs vndique obsitus ac*
 tetus

tectus, cuius oculi nil nisi infernales spirant ignes, lingua præsentissimum virus fundit, manus ¹ *Harpyiarum* instar nefario *contactu omnia fœdant*, quas putas strages edit? quanta vulnera animabus infligit? Tantò scilicet grauiora, ^k quantò fraudulentius omnia hic geruntur. Ostendebant *Amphitheatra* suum cuique hostem: qui cordati-ores ac rubustiores erant, propositum sibi Antagonistam subigebant, ac suum tutabatur vitam. Ast hic non hostis, non interfector, non bellum aut pugna, sed pax & statæ induciæ, omniaque blandissima & securissima: quibus hominum mentes inescatæ, non tantum non galea, aut scuto repellunt ferrum, sed obuio etiam pectore accipiunt, ipsique sibi firmiter imprimunt. Ô fatalem calamitatem! quis sine lachrymis tantam stragem intueatur? Quocunq; oculos conuertis,

i Virg. s. Aeneid.

& Cypr. de S. mt. Eccles. cap. 1.

Sanguine rorat humus, reboat clamoribus æther:

Sydera casorum sanguine clara rubent.

O Luthere caue, Caluine quiesce: reconde

Sicam, qui binis corpora tingis aquis.

Sanitum satis est: Exhorret vulnera Phœbus,

Mergitur infernâ cymba Charontis aqua.

Nec tantum insano peregrinos perditis ense,

Vestra perit propriâ vita, salusq; manu.

Sed iam operę pretium puto, ludos quoque

que

Scholebra-
cupa. hars-
itcorum in
Germania.

que præcipuos horum lanistarum com-
memorare. Quemadmodum enim olim gladi-
atores in familia primum habiti atque, po-
stea crescente numero & crebritate editio-
num in ludis quibusdam publicis vsu ar-
morum condocefacti, & ad pugnam insti-
tuti sunt: ita etiam hæc noua manus intra
priuatos nata parietes, paulò post publica
facta, sua κατάγωγια & μονομαχο τροφεία
nacta est, in quibus discit docetque quomo-
do Catholicam veritatem oppugnet, quo
pede sese recipiat, & quomodo obuersa ad-
uersarijs in quantulo spatio resistat.

Primumq; intermedij *Anabaptiste* nulla
Scholastica disciplina aut theatriali splen-
dore clari, in lacunis, cauernis, agris, aut
medijs etiam sæpè syluis discunt, docent,
ingulant, quotquot simplicitatis suæ cassi-
bus induerunt. At *Lutherus* tanquam Sica-
rius Arcticus *Saxonia* occupata, quatuor
sibi ludos illustres constituit, quibus discūt
omnes, qui in vicinis postea *Hassia*, *Porussia*,
Sueuia, &c. finibus nomine eius verbi Dei
rudibus batuunt, hominesque ad mortis i-
ter instituunt. Ij sunt *Wittenbergensis*, *Li-
psensis*, *lenensis*, & tandem *Tubingensis* Aca-
demia, virtutibus suis ita claræ, vt oratio-
nem nostram ipsa multitudine sua abster-
reant.

Iam *Zwinglius* & *Calvinus* facto syncre-
tismo

tino familias suas coniunxerunt, & ut la-
 tionibus grassari finibus possent, varios
 hinc inde per *Galliam, Germaniam, Angli-*
am, Belgium, ludos aperuerunt, è quibus
 quanta damna communi patriæ prouene-
 rint, publicè satis constat. Præcipuam in
Germania sedem ac veluti arcem imperato-
 riam in *montibus Himeri* fixerunt, vbi le-
 ges præscribentes & dictata dantes tantum
 discipulorum numerum colligunt, ut co-
 lonias postea alio quoque mittant, nec
 vllus *Germania* angulus supersit, vbi non
 aliquis huius sectæ tenebrio latitet, qui se
 data occasione tanquam ex insidijs prodat,
 suorumq; magistrorum spicula in obuio-
 quosq; contorqueat. Hæc tantorum malo-
 rum officinam, quis est qui ignorare possit?
 Tu *minuta Babylon, Apollineis insignibus*
clara, ¹ *scriptum habens in fronte nomen My-* *i Apoc. 178*
sterium: nega si potes, nega te matrem esse
 abominationum *Dipnosophisticarum* in o-
 mnibus terris: nega te mysterijs tuis, *Sa-*
cramentarijs erroribus tuis, quorquot vs-
 quam familiæ huius sunt, vel nascendo pe-
 perisse, vel obstetricando formasse, vel nu-
 tricando aluisse. Tu *Hyrana Tigris* vbera
 admoues *Gallis*, ut spurij potius *Caluini &*
Beze, quam soboles Christi esse malint. Tu
Britannos, Heluetios, Belgas instituis, ut do-
 mum reuersi patria incendia alere, quàm
 pacifi-

pacificæ veritati locum dare pulchrius du-
 cant. Inprimisque hoc detestabili scelere
 fœcundus est ludus ille magnus in vrbe, ca-
 calidus institutione, densus Tyrocinijs, stul-
 tus peruersa *sapientia*: Inde tanquam ex e-
 quo Troiano innumerabiles patriæ incen-
 diarij prodierunt. Hic sementis vicinarum
 ditionum, hic messis, hic triturationis. ô fata-
 les Cellulæ, pingui sagina sordidæ, *quibus*
cibus corpora impletis insuccum, ut carius per-
eant in pœnam, suoque sanguine fœcundēt
 arenam! Quàm metuo Babylon,^m ne veniat
 super te sanguis omnium, qui à prædicato
 Euangelio aures præbuerunt seductorib⁹,
 malueruntque paucos sequi cœcos ad per-
 niciem, quàm multos oculatos ad salutem.
 Resipisce, resipisce, ⁿ *priora opera facito, ne*
moueatur candelabrū tuū de loco suo. Ablacta
 infantulos tuos, nec quære præmium ob-
 stetricationis tuæ, ne flagella & tormenta
 inuenias. Ad perniciem instituis, cibosque
 propinas venenatissima errorum toxica.
 Nec te falle *sapientia* tuæ persuasione, vano
 veritatis Ecclesiæque titulo ne tibi impo-
 ne. Plures sunt sapientiores te, oculatiores,
 spiritu ditiores, qui te stultam esse dicunt
 & conuincunt. Audi mundum audientem
 Christum: Crede mundo credenti Christo.

m Matt. 22.
35.

Apoc. 2. 5

85. Augu.
lib. 22. de
ciuit. Dei

° *Magnum ipse prodigium est, qui mundo cre-*
dente non credit. Neq; hic Ecclesiæ Dei mos

aut

aut genius est, ut rupto quo cœpit filo, ad a-
 liam transeat lineam, diuque latitans inter
 angusta tandem & motibus intestinis refer-
 ta spelæa concludatur. ^{p Symb. cō.} ^{flant.} ^{q Psal. 18. 6.} ^{Augustin.} ^{Tract. 2. in} ^{Epist. Ioan.} ^{1 Isa. 2. 2. 3.} ^{Dan. 2. 34.} ^{35. 45.} ^{Mich. 4. 1. 2.} ^{Mat. h. 5. 16.} ^{1 Ioan. 15. 6.}
 Una est, Sancta est, ^q in sole
 collocata, ^x mons magnus ab Oriente in oc-
 cidentē protensus, ardentissimis luminibus
 lucidus. Tu autem qualis sis cognosce, pa-
 rentes tuos intuere, facta tua contemplare.
 Ramus es ab arbore excisus, humore iam
 cassus, vitæque vacuus, ^s ac nisi redieris ad
 arborem & inseraris, succumque ab radice
 tractum in flores & fructus conuertas, bre-
 uis incendio ignis depascendus. Scripturam
 iactitas, vana est gloriatio: Extra Ecclesiam
 scripturæ prætextus nullus est, nec potest
 habere sensum Christi: qui à Corpore Chri-
 sti auulsus adulteræ iungitur, promissio-
 numque sacramentis contradicit. ^{Augusti-}
 num audi, ^{Consentio} suo suadentem: ^{Intel-} ^{August. Ep.} ^{pist. 222.}
 lectum valde ama, quia & ipse Scripturæ san-
 ctæ, quæ magnarum rerum ante intelligenti-
 am suadent fidem, nisi eas rectè intelligas, vtilis
 tibi esse non possunt. Omnes enim heretici qui
 eas in auctoritate recipiunt, ipsas sibi viden-
 tur sectari, cum suos potius sectentur errores, ac
 per hoc non quod eas contemnant, sed quod eas
 non intelligant, heretici sunt. Agnosce igitur
 culpam tuam, cerne vlcera tua. Si quid ha-
 bes, quo te muniri posse putas, scito totum

Donna-

*u Extant
Separatim
in Praescrip.
vostri tra-
bat. 2. & 3.*

*Donatisticum ac Nouatianum esse, iam du-
dum voce scriptisque antiquitatis conui-
ctum atq; damnatum. Non credis scio, ve-
ni ergò & vide: lege antiquitatē, lege præ-
ter multa præclarissimos duos^u Cypriani &
Augustini de unitate Ecclesie libellos: sed se-
cutura lege, non præscriptura: abundè du-
bitationi tuæ satisfiet. Sed certò scio, me
surdo fabulam: ita perplacent sibi homines
isti in erroribus suis, pulchrumque ducunt
contradicere orbi terrarum, vt videantur
magistri orbis terrarum, nec sicam è mani-
bus deponent, donec Constantinus aliquis
pro tribunali iubeat, fractisque threcidicis
pacem orbi restituat.*

Quod vtinam breui à vobis experiri li-
ceat, Sanctissimi atque Illustrissimi Ecclesia-
rum Praesules, fortissimi patrie defensores ac
Principes, ne pereant ita homines in æter-
num consultò. Quanquam stulti sunt ipsi,
cæci, non intelligētes magna ex parte, quid
vel agant, vel patiantur. Illecti à sicaris spe-
ctatum adeūt ludos, & priusquam animad-
uertunt, auribus oculisque truncati, dein-
ceps nec audire monentes, nec cernere fe-
rientes possunt. Quare vestrae hæ partes
sunt, qui sanis sensib⁹ superestis, vt succur-
ratis nescientibus, vt excitetis dormientes;
prohibeatis cæcos à præcipitio, stultos ab
incendio, malè sanos à laqueo, omnes à frau-

fraude & æterno exitio. Inprimisque tu æ-
terne Deus, ^x *pater luminum & intelligen-* *in Iaco. 3. 17.*
 tiæ concute hominum istorum corda, ut
 videant quàm longè peregrinentur à te,
 quamque furiosè diruant ouile tuum. Fac
 quærant causas secessionis suæ, an satis iustè
 infectentur domum tuam, & dum quærūt,
 inueniant veritatem in sanctis tuis & se-
 quantur: fac videant errorem & emendent
 impietatem, ament quos oderunt, laudent
 quos condemnarunt, sequantur quos ex-
 horruerunt, & salui fiant qui perierant.

FINIS
 ORATIONIS.

EPISTOLA VI.

ILL^{mo} AC REV^{mo} D. OCTAVIO PA-
 raucino S. R. E. Cardi-
 nali

IUSTVS BARONIVS VETERA-
castrensis S.

QVAM miseræ sint vices rerum huma-
 narum, **AMPLISSIME CARDINALIS,**
 quàmque variè multi in hoc vasto mundi
 pelago vel bellorum fluctibus iactentur,
 vel errorum & hæreseon procellis à saluta-
 ri fidei portu, ad inhospita saxa & scopulos
 æternæ damnationis allidantur, plus satis,
F proh

proh dolor, misera hæc Germania nostra septuaginta nunc & amplius annorum suffragio demonstrat: Egoque minimus inter multos, non planè istius calamitatis expers. Sed quanta Dei in reuocandis multis ab erroribus & æterna pernicie benignitas sit: quanta item Ecclesiæ Catholicæ, quæ Christi ^a corpus & ^b sponsa est, in recipiendis tractandisque talibus lenitas & mansuetudo, meo iterum exemplo luculentissimè patet. Annos enim complures *iactatus curru inani- nium questionum*, ut loquitur author ^c Hypognosticôn, lapsusque *in fluctus vane contentionis & hereseos*, velut nauis *deserta gubernaculo, per diuersa & incognita littora opinionum volutus*, metuens tandem *naufragy*, reuertens, & *in portu fidei Catholica*, ubi me nulla posset *fluctuosa curiositatis, vel impietatis tempestas turbare vel mergere*, anchoram meam figere cupiens, ecce Apostolicæ sedis arcem adeo, flensque cogitata mea propono. Hic non secus atque olim *Aenea socijs Dido*:

^a Ephes. 1.

23.

^b Ephes. 5.

23. 24.

2. Cor. 11. 2.

Apoc. 19 7.

^c Tom. 7.

August.

^d Virgil. x.
Aeneid.

^d Soluite, inquit, corde metum Teucris, secludite curas,
Seu vos Hesperiam magnam, Saturniaq;
arua,
Sine Erycis fines, regemq; optatis Acesten,
Auxilio tutos dimittam, opibusq; iuuabo.
Vulius & his meum pariter considerare regnis?
Urbem

*Urbe[m] quam statuo vestra est, subducite
naues.*

Ita sanè mihi ad vnica[s] literas tota quasi
Apostolica aula in occursum venit, meque
complexa vlnis caritatis, noster inquit eris,
abijce curas, tabentes sale artus in littore
nostro pone: nauiculas tuas subducito:
quacunq[ue] in re tibi vsui esse poterimus, a-
pertos inuenies thesauros misericordiæ no-
stræ: fouebimus te auxilio, defendem[us] præ-
sidio.

Ad quæ omnia ego meritò hic iam in el-
logia erumpere debebam **CARDINALIS**
ILLVSTRISSIME, & celsis laudibus extollere
tam insignem humanitatem & beneficiam
vestram. Sed quæ tanta potest esse, præ-
sertim penes me balbum, dicendi facultas,
quæ non ad tam vastum laudum campum
exhorrescat, & exarescat? Pontifex Opt^{us}.

& Sanctiss^{us}. tanquam alter paterfamiliâs,
e videns à longè redire filium famelicum, ^f si-

liquis porcorum ferè cōfectum, ^e misericordia

commotus accurrens ruit in collum meum, ^g &

osculatus me, proferri iubet stolam, qua in-

duar, & calceamenta, quibus muniar: quia

filius, inquit, meus mortuus erat, ^h & renixit,
perierat & inuentus est. Non minus dome-

stici eius **Cardinales Illustrissimi** plausu re-
plentur & gaudio, accurrunt, spectant, læ-
tantur, salutant, ^h *maiusq[ue] gaudium est super*

e Luc. 15. 20

f Luc. 15. 16.

g Luc. 15. 20

h seq.

h Luc. 15. 7.



uno peccatore resipiscente, quam super nonaginta novem iustis, qui semper cum patre manentes, pœnitentia non indiguerunt. Hęc tantam tamque excellentem erga me pietatem, humanitatemque nondum quidem coram, sed literis tamen abundè testatam, quibus ego verbis prædicabo? quibus laudibus efferam? lachrymæ admirantes, singultus approbantes exoriuntur pectori meo nec quicquam possum, nisi, *veni, vide, mirare, gratulare*. S. ANTONIVS, cùm ad eum scriberet *Constantinus Magnus*, humilitatis admiratione abreptus, *Ecce, inquit, etiam reges & principes terra ad nos scribunt*. Quantò magis ego miserimus peccator, vix è fuga domum rediens, & ne comparandus quidem ANTONIO, viro sanctitate & miraculis clarissimo, tanta beatitudine affectus, exclamare debeo: *Ecce etiam summi Ecclesiarum Præsules, Pastor summus oculis dominici, Illustrissimi eius Cardinales, viri omni virtutum genere instructissimi ac Sanctissimi, ad me miserum scribunt, ad me accurrunt, me complectuntur, me in manibus gerunt, instruunt, ad beneficiorum suorum messem inuitant. Cicerone hic aliquo laudatore opus est, nostra nimis frigent. Et fortè non par sit ipse*

*à Luc. lib. 7.
circa 1115.*

————— ¹ *Romani maximus auctor,
Tullius eloquij.*

Vos

Vos verò hæretici inuidentes, audete iam amplius exprobrare *Roma* fastum: Ecce fastuosa non est, humilima est, benignissima est. Elati non scribunt ad humiles, etsi fortè benefaciunt humilibus. Tu verò rumpere liuoriners, dispergere, confundere, disce pietatem habitare *Roma*, non elationem. Triumphet anima mea in Deo, qui tam benè mihi vult, qui auertit cæcitatem meam, tamque liberali spe exilium meum consolatur. Iam quas Pontifici Maximo, totique sedi Apostolicæ pro commemoratis beneficijs gratias debeo, vellem quidem, sed non possum exsoluere dignas. Tuam *Illustr. Parauicine* in mea causa tuenda præclare nauatam operam tacitus nullo modo præterire possum. Pro egregia enim animi tui erga *Germaniam* nostram voluntate, non secus ac quatuor illi baiuli paralytici, ^{quicum non possent appropinquare Domino & Marc. 23.} præ turba, nudauerunt tectum adium, funibusq; demissis grabbatum ante oculos eius stauerunt. Ita tu occupatissimo Pontifici & turba negotiorum quasi presso grabbatum litterarum mearum tanquam per medios parietes insinuasti & commendasti, vtque tam citò & benignè responderet, indefesso tuo studio effecisti. Hoc tantum beneficium, cum velim, nec possim satis dignè celebrare, partes meas commendo tibi omni-

1. Ephes. 2.

2. Matt. 5. 7.

3. Matth. 10.

4. 1.

potentissime Deus, qui¹ *dines gratia & benedictione*, ^m *Beati*, inquis, *miseriordes*, *quoniam misericordiam consequentur*: *Et* ⁿ *qui receperit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet.* Heidelb. Calend. Martij. M. DCI.

EPISTOLA VII.

SANCTISSIMO IN CHRISTO
Patri & D. N. CLEMENTI VIII. Pon-
tifici Maximo

IUSTVS BARONIVS VETE-
racastrensis.

BEATA verò tempora nostra, PATER
SANCT^{me} quæ te tantum Ecclesiæ præ-
fulem genuere! Beatum me, qui talem, post
CHRISTVM, animæ meæ pastorem inuenis
tam vigilem, vt balatus redeuntis ex eremo
ouiculæ non obaudiat: tam fidum, vt pul-
santem ad fores Ecclesiæ non repellat: tam
humilem, vt voce etiam & alloquio digne-
tur. ô quis sacrum illud *Apostolicum* tuum
satis digno encomio prædicabit? præsens
ætas mirabitur affectus humanitatem: po-
steritas prædicabit veritatis sinceritatem:
secula omnia obstupescunt religionis san-
ctimoniam. Ita enim clementer reducem
excipis, PATER, ita sincerè tyronem imbuis:
ita religiosè tractas & inuitas exulem, vt &
miris modis incomparabilem nominis tui
famam

famam augeas, & hæreticos omnes pudore ignominiaque suffundas. Crepant multa degeneres filij, de matris desertæ in humanitate, exagitant spiritum eius cellsum: Dominici gregis pastores, summos pariter & imos, quibus possunt virulentissimis conuitijs proscindunt, & fœdissimis fictorum criminum maculis conspurcât. Sed qui tales sunt, adsint huc, aperiant oculos, pandant aures, capiant fidelissimæ matris pietatem, curam, benignitatem, sollicitudinem, humilitatem, distenta vbera, religiosissimū sinum. Et si mentis stupore perculsi sunt, vel crassis manibus tangant diuinam Pastoris Summi erga miseram ouiculam propensionem, ^a *cum magna eam exultatione in humeros suos recipientem, domumq; reportantem.* Ô vtinam amore tali illecti, inveniuntur & ipsi, ne perditii pereant, & miseri errore, miserrimi fiant dānatione & cruciatu sempiterno! Capiant exemplū redeuntis filij & recipientis patris: neque pluris faciant superba mundi desertæ, reluctantia & & relatrantia castris Dei; quæ ^b *igneo promissionum Dei muro circumuallata, nihil damni è ^c canum circūlatrantium rabie capiunt: gaudij autem plurimum ex salute eorum, qui ex hostibus amici facti, futurę glorię consortium adipiscuntur.*

Sed missis illis, ad te redeo *Maxime Pon-*

F 4 *tifex:*

a Luc. 15. 5.

*b 4. Reg. 6.
17.*

*c Aug de G.
tit. cred. c. 17*

ad Heb. 13. 17

rifex: cui quoniã omnes totius orbis Christiani diuino humanoque iure ad promptã alacremq; obedientiam deuincti sunt, monente Apostolo, ^d *Obedite prepositis vestris qui vigilant pro animabus vestris: Ego Sanctitatis Tuae* voce (quod citra summam gratiam commemorare nequeo) non solum ab hæreseos gurgite ad Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ portum clementer admissus, verum in urbem quoque Sanctam, in domicilium religionis humanissimè euocatus: non potui nec debui, quin quàm primum ad visenda Sanctorum Apostolorum limina, tuaque vltiora iussa capessenda iter arriperem. Sed vide quid acciderit. *Augusta* dum me accipit, corripit febris, plusculisq; paroxysmis prostratum sistere cursum cogit. Nec medicorum voluntas alia, quàm vt hoc ingrauescente calore quieti atque vmbre me tradam, iter firmiori valetudini, tempestati leniori reseruem. Quæ si tua quoque voluntas, PATER SANCT^{me} mirum quàm mihi quam familiæ meæ commodabis. Ego vbi primum loco pedem mouere licebit, faxo me Catholici alicubi in *Germania* socium confessionis & æmulum pietatis habeant. Et quia in primis *M O G V N T I A M*, *fidelem illam atq; illustrem Romanæ Ecclesiæ filiam* cogitat animus, omnia mihi ibi securiora & certiora pollicebor, si secundã
com-

cōmendationis tuæ auram cymbulæ meæ
 afflaueris. Interea quia nihilominus quasi
 * *Agabo* vate non paruam huic commigra- *e Act. 21. 10.*
 tioni meæ calamitatum messem præpara- *11.*
 tam video, Deum Optimum Max. serijs vo-
 tis precor, vt quam in me mentem semel
 excitauit, eandem spiritus sui robore per-
 petuò firmet atque alat, ne vnquam me vl-
 la (quod absit) aduersitas gradu constan-
 tiæ deiiciat. Tu verò Christianorum MA-
 GNE PATER, quam erga me semel suscepisti
 curam & beneuolentiam, quæso per Deum
 nunquam depone: quin auge indies & am-
 plia, vt *prora* mihi sis & *puppis*, scutum &
 hasta, in omnium necessitatum conflictu.
 Profiteor ego in conspectu Dei, quod ante-
 hac etiam SPIRÆ in collegio Societatis IESV
 Sacramento interposito professus sum, me
 sincero pectore Catholicam fidem ample-
 cti, & ad extremum vsque spiritum ample-
 xurum, quoscunque potuero, edoctrum,
 & contra quosuis pro virili verbis factisq;
 atque etiam si opus sit, sanguine defensu-
 rum. Nec S^{ti}s T^æ incredibilia erga me me-
 rita vlla vnquam temporis obliuio ex ani-
 mo meo delebit. *f* *In columem te & memorem* *f* *Hieron. E-*
mei CHRISTVS Deus noster tueatur omnipo- *pist. 80. &*
tens, Domine Verè Sancte, & Beatissime Papa. 94 & 96.
 Augustæ Vindel. II. Calend. Iunij M.DCI. *& 98. ad*
August. I-

F 5

EPI *55. ad Ripa.*

EPISTOLA VIII.

ILL^{mo} ET REV^{mo} D. CÆSARI BARONIO Sorano S. R. E. Cardinali

IVSTVS BARONIVS VETERACASTRENSIS S.

LVS I primum meum ad vos iter, febris malignitate abruptum. Quam vtrum equorum iactationes, vel curruum quassationes, vel diuersorum pultarij conciliarint, anceps sum. Id certum, vitæ hæctenus sedentariæ insuetas commotiones haud parum infestas fuisse. Tempus & modum à magno illo AVGVSTINO mutuatus sum, qui & ipse quondam à *Manichaorum* scholis ad Catholicos transitum meditans: ^a Placuit inquit, mihi, in conspectu tuo Domine, non tu multuose abripere, sed leniter subtrahere ministerium lingue mee nundinis loquacitatis: ne ulterius pueri meditantes, non legem tuam, non pacem tuam, sed insanias mendaces, & bella forensia, mercarentur ex ore meo arma furori suo. Et opportunè iam paucissimi dies supererant, ad vindemiales ferias. & statui tolerare illos, ut solenniter abscederem, & redemptus à te iam non redirem venalis. Consilium ergo nostrum erat coram te, coram hominibus autem nisi nostris non erat: & conuenerat in-

ser

a August.
lib. 9. con-
fess. cap. 2.

ter nos ne passim cuiquam effunderetur. Et nō nullis interpositis: ^b Peccasse me inquit, in ^b *ibidem.*

hoc quisquam seruatorum tuorum fratrum meorum dixerit, quod iam pleno corde milita tua, passus me fuerim vel una hora sedere in Cathedra mendacij. At ego non contendo. Verum tamen quia propter nomen tuum quod sanctificasti per terras, etiam laudatores utiq; haberes, votum & propositum nostrum, iactantia simile videbatur, non operiri tam proxi-
 feriarum tempus, sed de publica professione atque ante oculos omnium sita antè discedere, ut conuersa in factum meum ora cunctorum in-
 tuentium quam vicinum vindemialium diem praeuenire voluerim, multa diceret, quod quasi appetissem magnus videri. Et quo mihi erat istud, ut putaretur & disputaretur de animo meo, & blasphemaretur bonum nostrum? Hęc
S. Augustinus magnum illud orbis Christiani lumen, quæ ego totidem verbis (vt parua magnis comparem) de me dicta velim. Nam nec ego ante statas paschatos ferias, ne cum tumultu desiderarer, nec non nisi cum amicis communicato consilio, ne
^c *circulum turbarent* οἱ ἐν αὐλαῖς κρᾶσις, iter meum capeflere volui. Nihilominus vt
^d *Paulum olim ac Silam è Mysia in Bithyniam ire properantes, prohibuit spiritus Dei, sciens articulos & opportunitatis temporum,* ^e *disponensq; omnia suauiter:* Ita mihi, cum

^c *Archimedes apud Plutarch. in Marcell. d Act. 16. 7*

^e *Sap. 8. 8.*

f. August.
 l. 5. confess.
 cap. 9
 f. Apoc. 12.
 f. r.

hi, cum iustam videndæ urbis horam nondum affulisse videret, remoram^f a gratitudinis corporalis iniecit, ut^q per tempus, vel rempora, vel dimidium temporis, MOGVNTIÆ (quo potissimum mens aspirat) tyrocinijs fidei completis, instructiorem postea atque affluentiorem Romæ Sanctis Apostolis cultum exhiberem. Successum spero tu, magnam decus & præstium meum, apud Deum, Pontificem, Archipræsulem Moguntinum votis tuis exorabis. Ita me totum tuæ commendo & committo fidei. Plura febris ingrauescens non finit. Vale longissimè. Augustæ Vindel. 11. Calend. Iunij. M. DCI.

EPISTOLA IX.

CLEMENS PAPA VIII.

IVSTO BARONIO VETERA-
canstrensi. S.

*Dilecte Fili, Salutem & Apostolicam
 benedictionem.*

MIVS voluptatis nobis attulerunt litteræ tuæ, Augustæ Vindelicorum datæ, quam certè attulissent, si de tua exterioris hominis prospera valetudine ea audiuissemus,

mus, quæ semper optamus. Nam in
interiori homine te per Dei gratiam
egregiè valere, & diuino Spiritus
Sancti lumine magis magisque illu-
strari, multo nostro cum gaudio
perspicimus. Nunc autem mole-
stum est, quod scribis, te cum iam
Romam pergeres, in morbum, sicut
Domino placuit, incidisse. Sed bo-
no animo esto fili, ^a diligentibus Deum
omnia cooperantur in bonum. is, ^b qui te
è tenebris eduxit in admirabile lumen su-
um, ipse ^c sollicitus erit tui, & ^d omnia
tua suauiter disponet. ^e Confortare er-
go in eo, & ^f quod facis fac, ut ^g diui-
tias bonitatis eius prædices, & ^h quã
ta fecerit tibi, magna constantia, nõ
minori pietate enarres. nam quæ
scribis, te egisse *Spira in Collegio Socie-*
tatis Iesu, ut ⁱ Deo altissimo gloriam
dares, & sancto proposito animi tui
firmitatem ostenderes, iucunda no-
bis fuerunt. Sic ^k maius gaudium est in
caelo Angelis Dei, sic Ecclesia sancta, &
boni omnes impensius lætantur, &
lanti-

^a Rom. 8. 28

^b 1. Pet. 2. 9.

^c Psal. 39. 8

^d Sap. 8. 1.

^e 1. Pet. 1. 22

^f 13.

^g 2. Cor. 10.

^h 12.

ⁱ Rom. 2. 4.

^k Luc. 14. 25.

ⁱ Ioh. 9. 24

^k Luc. 15. 7.

1 Apoc. 12.9 antiquus hostis *Satan* cum filijs te-
in Ps. III. 10. nebrarum^m fremit & tabescit. Sed
n Luc. 1. 49 speramus in ipso,ⁿ qui potens est, &
6 Ps. 146. 5. cuius misericordix^o non est nume-
p Coloss. 1. 13 rus, quod multos exemplo tuo *P* eri-
9 Ioan. 12. 35. *9* *sint filij lucis.* Confortare igitur ite-
rum & sæpius fili in Deo tuo, qui
nunquam te deseret, & nos certè,
qui te paternè amamus, non desere-
mus, sed studijs tuis fauebimus, &
commodis tuis, quantum cum Do-
mino poterimus, amanter consule-
mus. Nec te nobis gratias agere o-
pus est. Nam dum nostri in te amo-
ris significationem aliquam damus,
in eo ipso nos plurimū oblectamur.
Itaq; libenter admodum scripsimus,
vt petisti *Dilecto filio Electo Moguntino,*
eique te, & tuos, & quęcunque ad te
pertinent, efficaciter commendavi-
mus, nec dubitamus, quin ille infi-
gni virtute præditus Princeps, &
sua sponte, & nostro intuitu te omni
officio

officio ac p̄ etate complectatur.
Quod verò scribis, te familiæ tuæ
cognomen, ob impij illius, & dete-
stabilis Satanæ ministri *Caluini*, iam
horrere, nec illud iam amplius vsur-
pare, sed ex nostra autoritate muta-
re velle, agnoscimus & in hoc quoq;
zeium tuum Catholicæ fidei, eamq;
mutationem vt tuo arbitrato facias,
tibi ipsi permittimus. Quod reliquū
est fili, Deum precamur, vt suam in
te gratiam tueatur, & augeat, cuius
vice nos licet immeriti, Apostoli-
cam benedictionem nostram tibi ex
animo impartimur. Datum Romæ,
apud Sanctos Apostolos, sub annu-
lo piscatoris. die 12. Iulij. M.

DCI. Pontificatus nostri
Anno Decimo.

Siluius Antonianus Cardinalis.

EPI-

EPISTOLA X.

CINTHIUS ALDOBRANDI-
nus S. R. E. Cardina-
lis

IUSTO BARONIO VETE-
racastrensi. S.

Admodum Magnifice & Ornatissime
Domine.

PATERNVM S. D. N. erga te animum de-
clarare pergunt alteræ S^{tis} S^æ litteræ,
quas etiam mitto. Quid autem & ipse causa
tua velim, malle equidem solidis officijs,
quàm verbis ostendere: & ostendam vel
non rogatus, vbi cunque se eius rei dabit fa-
cultas. Sic enim existimare debes, non so-
lū me ex tua ad Catholicā fidem conuersi-
one singulari quodam gaudio affectum, sed
etiam statim erga te sic fuisse animatum, vt
in te diligendo nemini eorum concedam,
quos nosti esse tui amantissimos. Prioribus
S^{tis} S^æ litteris ego itidem officij causa co-
mites adiunxeram paucos versiculos, quos
vna tibi redditos arbitror. Vt vt sit, hosce
denuò certissimos testes habebis meæ in te
propensissimæ voluntatis. Quod reliquum
est, à Deo Opt. Maximo summis precibus
cōtendo, vt quemadmodum mente & ani-
mo, sic etiam corpore perpetuò valeas, cui
iterum

iterum omnia studia atque officia mea lubens defero ac polliceor. Romæ die 14. Iulij M.DCI.

EPISTOLA XI.

CÆSAR BARONIVS SORANUS S. R. E. Cardinalis

IUSTO BARONIO VETERA-
castrensi S.

Clarissime Domine.

ACCÉPTI litteras tuas, ex quibus summum dolorem hausi, quod te, quem hoc tempore, quo itineri te cōmiseras, rectè valere optaueram, nunc in morbū incidisse intelligam. Equidem summoperè cuperem pluribus verbis te consolari, nisi scirem ea te fortitudine esse, vt à nullo potius, quàm à te alleuationem vllam debeas expectare: cum omninò confidam, ² infirmitatem hanc *à Ioan. 11* non esse ad mortem, quod olim Dominus noster lororibus Lazari ægrotantis respondit, sed pro gloria Dei. Porro cum S. D. N. regi de rebus tuis, qui ea propensione in te est animat⁹, vt nihil æq; desideret, quàm vt omnia tibi cedant felicissimè. Quapropter bono animo esto. Etsi enim constitutus sis (vt Paulus ait) ^b in labore, in arumna, in vigilijs, *b 2. Cor. 11:* in frigore, & nuditate, ^c confide tamen in Do- ^{27.} *c 1. 1:*
G *mino;*

psa 40.4 *Deut. 7.15* *mino, sicut mons Sion. Nam ipse d' opem feret*
super lectū doloris tui, & c' auferet à te languo-
res & infirmitates pessimas. Ego verò quam-
 uis satis notum esse existimem, qua bene-
 uolentia te tuaque negotia sim prosequu-
 tus, cupio intelligas nihil mihi tam graue
 vnquam posse euenire, quod me ab hoc
 meo animo valeat auocare. Romæ. Pridie
 Id. Quint. M. DCI.

EPISTOLA XII.

IVSTVS BARONIVS VETE-
 racastrensis

HENRICO BELLANO

Socero S.

ETSI probè scio, *Humaniss' D. SOCER,*
 non iucundissimum me tibi aut familie
 parentibusue nuncium allaturum, qui o-
 mnes pariter à CATHOLICA fide, quam ex
 hisce meis me palam amplexum intelli-
 gitis, toto quasi cælo & plusquam *Vatiniæ*
odio dissidetis: attamen quia ipsi testes e-
 stis, pluris faciendum Iustissimi Dei amo-
 rem, conscientie tranquillitatem, & com-
 munem omnium nostrum salutem, quam
 fluxam aliquam, lubricam & perniciosam
 in erroribus sectandis concordiam, Iusta
 me ratione impulsus putavi, vt non solum
 securus fame manifestissime DEI veritati,
 à quæ

à quâ longè aberrassem, manus darem, sed
 vobis etiam cæterisque de mea absentia so-
 licitis totius consilij rationem perscribe-
 rem, locumque familiæ, quo sese ad me o-
 cyus reciperet, designarem. Nam ad VI. Ca-
 lend. Maij. ^a *S. Augustini* Exemplo feriarum
 Scholasticarū opportunitate solutus, rhe-
 da (vt scis) publicā *Spiram* deuectus, Ca-
 tholicas interea Ecclesias obiui, meq; cum
 ijs societate & fœdere astringi, qui Nouita-
 tatum hostes prisce Romanæ fidei normam
 sanctè religioseque tuentur. Proximè *Aug-
 gusta* redi, *Moguntiam* appuli, eumq; lo-
 cum sedi figendæ opportunissimum fore
 speravi, quod & propius à vobis absit, & fa-
 ciliorem familiæ transportandæ rationem
 ostendat. Hanc igitur cum suppellectilibus
 vt bona magistratus venia continuè ad me
 mittatis, oro. Sin renuat, instabitis, ac me de
 remora laxanda tempestiuè facietis certio-
 rem. Vestrū in rē totam animum nihil mo-
 ror neque miror. Doleo tamen esse intem-
 perantiorē. Laudem merentur & præmi-
 um apud cœleste numen, qui egressi *Baby-
 lonem* vestram publicè Ecclesiæ Dei agglu-
 tinantur, diuturnæque rebellionis pœnas
 à semetipsis deposcunt. Certè quàm neces-
 saria sit omnibus ad salutem aspirantibus
 veræ Ecclesiæ communicatio, præter no-
 stros, *Augustinum*, *Cyprianum*, *Hierony-
 mum*,

a Lib. 9. con-
 fess. cap. 2.
 Vide prox-
 me ante, E-
 pist. 8.

mum, ipse CALVINVS vester docere te po-
 test, cuius in INSTITVTIONE malè sana hæc
 b Calu. lib. 4. in. st. ca. 1. §. 1. sanissima verba extant. ^b Incipiam inquit, ab
 Ecclesia: in cuius sinum aggregari vult Deus
 filios suos, non modo ut eius opera & ministerio
 alantur, quãdiu infantes sunt ac pueri, sed cu-
 ra etiam materna regantur, donec adolecant,
 ac tandem perueniant ad fidei metam. Hæc e-
 * Marc. 10. 9. nim * quæ Deus coniunxit separari fas non est,
 ut quibus ipse est pater, Ecclesia etiam mater
 sit: neq; id sub Lege modo, sed etiam post Christi
 c Gal. 4. 26 aduentum, teste Paulo, qui^c nouæ & cœlestis
 Hierosolymæ nos esse filios docet. & Paulo post.
 d Ibid. §. 3. ^a Tantum potest Ecclesia participatio, ut nos
 e Ibid. §. 4. in Dei Societate contineat. Atq; iterum, ^c Quia
 nunc de visibili Ecclesia differere propositum
 est, discamus vel vno matris elogio, quã utilis
 sit nobis eius cognitio, imò necessaria: quando
 non alius est in vitam ingressus, nisi nos ipsa
 concipiat in utero, nisi pariat, nisi nos alat suis
 uberibus, deniq; sub custodia & gubernatione
 f Matth. 23. 30. sua nos tueatur, donec exuti carne mortali, ^f si-
 miles erimus Angelis. Neq; enim patitur nostra
 infirmitas, à schola nos dimitti, donec toto vita
 cursu discipuli fuerimus. Adde quod extra
 eius gremium nulla est speranda peccato-
 rum remissio, nec vlla salus, teste ^g Iesaja &
 h Ioc. 2. 32. ^h Ioele. Quibus subscribit ⁱ Ezechiel, quum de-
 i Ez. c. 13. 9. nunciat in Catalogo populi Dei non fore, quos
 à cœlesti vita abdicat. Sicuti ex opposito dicuntur

tur nomē suū inscribere inter ciues Hiero-
solymae, q̄ se ad vere pietatis cultū conuertunt.

Quaratione & alio^k Psalmo dicitur, Me- Ps. 106. 4.

mento mei Iehoua in beneplacito populi tui:
visitame in salute tua, ut videam beneficenti-
am electorum tuorum, later in letitia gentis
tuae, gaudeam cum hereditate tua. Quibus
verbis paternus Dei fauor & peculiare spiritu-
alis vite testimonium ad gregem eius restringi-
tur, ut semper exitialis sit ab Ecclesia discessio.

Ab hac Caluini Theologia profectò parum
Caluiniana vide quàm prope Catechetæ
vestri VRSINVS & PAREVS absint. ¹Hec do-

ctrina inquit est prima & præcipua nota In prolego.
Catechet.
general.

vera Ecclesie, quam Deus in mundo vult esse
conspiciam, & separari à reliquo genere hu- quest. 1. p. 2.
Item p. 400.

mano, iuxta dicta: ^mFugite Idola. ⁿExite è quest. 7. de
Eccles.

medio eorum, & separamini. ^oSi quis venit ad m. 1. Ioan. 5.
21.

vos, & hanc doctrinam non adfert, ei nec aue- n. 2. Cor. 6.
17.

dicite. ^pSancti estote, immundum ne tangito- o. 2. Ioh. 10.
p. 1. 5. 11.

te, qui fertis vasa Domini. ^qExite ex ea popule q. Apoc. 18. 4

mi, ne ex plagis eius accipiatis. Vult autem
hanc separationem Deus fieri: Primò, propter
suā gloriam. Vt. n. non vult ipse commisceri

cū idolis & diabolis: ita etiam vult suā verita-
tem discerni à mendacijs, & suos domesticos ab
hostibus Ecclesie, hoc est, filijs diaboli segregari.
Contumeliosum est Deo, cogitare, quod velit
tales filios habere, qui eum persequantur. Bla-
phemum est, Deum facere autorem doctrine

2. Cor. 6.
14.

impie, & patronum blasphemorum. ¹ Quæ enim concordia Christo cum Belial? Deinde propter consolationem & salutem electorum.

Necessè est enim Ecclesiã in hoc mundo conspici, ut sciant electi dispersi in toto genere humano, cui cœtui se debeant adiungere in hac vita, & ad Ecclesiam aggregari, hac certa consolatione fruantur, se esse in eo cœtui qui Deo placet, & qui habet promissiones vitæ æternæ. Vult enim Deus omnes salvandos aggregari Ecclesie in hac vita, quia extra Ecclesiam non est salus. Hæc illi.

Iam quod vera illa & germana Christianorum mater, vera & orthodoxa Apostolica Ecclesia, sit vna hæc Romana, Pontificum & Episcoporum moderamini subdita, & conscientia meæ probatissimum est, & facile si animum adijcias, aduersus Lutheri & Caluini Synagogulas demonstratu. Quod dum ego in vsum vestrum molior, cogitate quæso, quàm firmæ & claræ sint Dei de spõsa sua promissiones, cogitate quàm necessaria sit ad Christi regnum æternum, & miseræ plebeculæ, quæ ex orientibus hæresibus nullo se meliori quàm Ecclesiæ fulcro sustentare potest, salutem perpetua Ecclesiæ stabilitas. Cogitate quam sit certa & euidentis illa ratiocinatio: Nullam aliam sinceram esse fidem posse, quam quæ ab Apostolis profecta per continuam omnium Patrũ
&

& seculorum successionem ad nos vsque propagata sit. Nisi enim *Apostolos* truncos aut stipites efficere velimus, necesse est saltem primitiuam ab ipsis Ecclesiam rectè fideliterq; institutam fateamur: & quia ^s *uestri primis sexcentis annis Ecclesiam virginem* perstuisse agnoscunt, necesse est illorum sex seculorum scriptoribus puræ incorruptæque veritatis autoritatem concedamus. At si periculum faciamus à proximo ad proximum, à *Martiali ad Dionysium*, à *Dionysio ad Ignarium*, ab *Ignatio ad Clementem Romanum*, à *Clemente ad Iustinum*, à *Iustino ad Irenaeum*, ab *Irenæo ad Clemenē Alexandrinum*: à *Clemente ad Originem*, ab *Origine ad Dionysium Alexandrinum*, à *Dionysio ad Tertullianum*: à *Tertulliano ad Cyprianum*, à *Cypriano ad Arnobium*: ab *Arnobio ad Lactantium*, à *Lactatio ad Hilarium*, ab *Hilario ad Athanasium*, ab *Athanasio ad Cyrillum*, à *Cyrillo ad Ambrosium*, ab *Ambrosio ad Optatum*, ab *Optato ad Basilium*, à *Basilio ad Epiphanium*: ab *Epiphanio ad Gregoriosum Nazianzenum* tum *Nyssenum*: à *Gregorijs* ad *Hieronimum*: ab *Hieronimo ad Chrysostomum*, à *Chrysostomo ad Augustinum*, ab *Augustino* denique per intermedios ad *Gregorium vsque Magnum*: nullam in vniuersis aliam fidem, nullam aliam cæremoniam, nullam aliam denique religionis micam præter vni-

Luther. de Capt. Baby- lon.

Item in Sup- put. Annot. mundi.

Calu. Epist. ad Sadol.

Et lib. 4. In- sist. cap. 17.

S. 49 G. 6

2 S. 3.

Pontificiam Romanam deprehendemus. Ut iam consequens esse ipse agnoscas, huic vni & soli veritatis palmā deferendam, huic vni & soli fidē nomenque dandum, cuiuscunque etiam *Catilinæ* aut *Cethegi* hactenus partes contra patriam secutus fueris. Spero dixisse me, quæ si non tollendæ, saltem mitigandæ bili vestræ sufficiant. Plura si desideratis, faxo suo tempore. Nunc id vnum volui, sciretis quæ me terra haberet, quoq; iter familia ad me dirigeret. Hanc ne longiori mora suspendatis, oro. Vale, & cum domo tua meaque salue. Moguntia 6. Idus Iunij. M. DCI.

EPISTOLA XIII.

IUSTVS BARONIVS VETERACASTRENSIS

DAVIDI PAREO, ACAD. HEID.

Professori S.

Pleniorē
Pareana
Epistola
confutatio-
nem, vide
Epist. proxi-
mē sequenti
XIV.

LITTERAS tuas optimo animo, sed maximo errore scriptas, *Clariss^c. PAREE*, hoc ipso vespere sub cœnam accepi pariter ac legi, sed sine omni mentis de sancto proposito dimotione. Illis vt respondeam, necessitas quidem & præter conscientiam nominis & famæ ratio postulare videtur. Huiusmodi enim me maculis conspurcas, vt nisi me probè purgem, meam ipse famam flagitiosè

tiosè prostituere videar. Sed vt cuncter, iu-
 stus periculi metus facit. Cauete mihi &
 meis de non iniicienda remora, habebitis
 breui integram & fusam causæ meæ defen-
 sionem: in qua non hoc agam, quod vobis
 propositum esse video, vt persona personā
 lacessat, aut inania cōuitia aërem verberēt,
 mentesq; exasperent, sed vt causa cū causa,
 ratio cum ratione decertet. Literæ sanè tuæ
 magnum verborum apparatus habent, &
 multa de *Babylone*, de *Aegyptijs ollis*, de *An-
 tichristo* & eius iugo ingeminant, sed nihil
 probant, eaque vt controuersissima, ita à
 vestra parte infirmissimis coniecturis, seu
 vt veri⁹ dicam, calumnijs innixa sunt. Pro-
 bare illa, non præsupponere oportebat, &
 postea probatis reprehensionem facti mei
 superstruere. Sed enutrito nimirum in fide
Caluiniana satis ista probata credebas. E-
 quidem erant quondam specie quadam ve-
 ri instillata. Sed qui diligentius ista maturi-
 ori ætate ponderaui, *Sacrosanctæ Antiquita-
 tis* iudicio temperaui, vana & commentitia
 instabilium ingeniorum figmenta esse de-
 prehendi. Quæso discite vos tandem hono-
 rem aliquem habere patribus vestris, clarif-
 simis Ecclesiæ luminibus, nec putate Spiri-
 tum Domini ab illis in vos solos recessisse.
 Ecce ego fidenter assero, totam vobis *anti-
 quitatem* à primo statim patre ad vltimum

vsque (quorum quidem scripta ad manus nostras peruenerunt) non in vno aliquo, sed in omnibus, quos ab *Romana* Ecclesia diuersos habetis, articulis aduersari: vestra etiam fidem hodiè non minus *Orientalibus* quàm *Occidentalibus* Ecclesijs damnatam esse, lectione cognoui. Aut ergo asserite vos solos à vite precisos errare, quod probabilius est, aut totam Christi Ecclesiam non in hac tantum mundi senectâ, sed ab initio quoque in errore versatam, & quia *Romane* Ecclesie instituta examussim sequitur, *Characterem Antichristi* in primo statim ouo, vt ita loquar, accepisse, ac propterea perijsse. Quæ tanta blasphemia est, vt nulla maior esse possit. Sed inhibeo manum. Leo Palatinus vnguem ostentat. Mittite ad me pri^{or} vxorem cū liberis & suppellectile, aut de securitate caueate, habebitis à me literas rationum plenas, nec modestiæ inanes. Interea non est quod metuatis, ne religiosorum aut Monachorum ordini accedam, ne vxore pro concubina abutar. Prôh dedecus, vnde hæc vox vobis in mentē? Omnesne Catholici sacerdotes? omnesne sacerdotes concubinarij? longè aliud meum propositum est. Iuri animum adieci, eique studio absoluendo honestum Pontifex stipendium addixit. Itaque reddite mihi familiam; politicum & ciuile mecum vitæ genus ducent.

a. August. in
Esa. cont.
partē Don.

ducent. Conscientiæ vxoris iam ante sæpe & satis cautum est, & adhuc à me religiose cauetur. Deus illam restituat, & spiritu consolationis roboret, quo necessarium mecū fortitet exilium ferat.

Quod tam horrendis me vocibus incessis, *Apostata, profugi, veteratoris contra conscientiam agentis*, tanè inique molesteq; ferro. Quid enim? putas ne me tam prodigum esse salutis meæ, vt cum summo discrimine & offensione acerbissima charissimorum conscientiam læsurus, & reclamante animo in exilium transiturus sim? GALEAZIVS vester *Caracciolus*, cuius ipsi vitam *Heidelbergæ* impressistis, cum *Caluinismum* amplexatus clam domo aufugeret, & *Geneuam* veniens priore vxore abdicata aliam superinduceret, nunquid ipse profugus, veterator, *Apostata*, desertor erat? nunquid contra conscientiam agebat? non ais, quia ad meliores transibat partes. Idem iuris mihi tribue, qui meliora & mitiora, vt res ipsa clamat. *Apostasiam* nullam agnosco, nisi qualem *Paulus* fecit à *Iudeis*, & *Augustinus* à *Manichæis*: quos in more habuisse testatur, vt si quis illorum retia rupisset, & *Catholicæ vnitati* accessisset, quamprimum de illo clamarent, ^b *Lumen per illum transitum fecit*. Sed memineris charissime compater, quod *Cyprianus* simili in casu respōdit, cum

b August.
de Verit. cred.
cap. 1.

vnita-

*e Op. de
not. Eccles.
cap. 9.
d. l. i. d. m.
e. l. i. d. m.
cap. 4.*

ibid. c. 5.

vnitatem Ecclesiæ contra *Novatianos* asse-
reret: *Non nos ab illis, sed illi à nobis recesserunt.* Illi enim ^d *diversa sibi conuenticula sta-*
tuerunt, illi veritatis caput atq; originem re-
liquerunt, Cathedram Petri, super quam fun-
data est Ecclesia. Eodem modo si vos vnita-
tem Ecclesiæ, quæ teste eodem Cypriano,
^f *Adulterari non potest, multo minus in An-*
tichristianismum degenerare, firmiter & cõ-
stanter tenuissetis, nec cum Lutherò & Cal-
uino Apostatæ facti essetis, non mihi iam
vestrum crimen exprobraretis. Plura festi-
natio tabellarij non sinit. Valete igitur, &
familiam vobis cõmendatam habete. Ra-
ptim Mogunt. 16. Cal. Iulij. M. D. C. I.

EPISTOLA XIV.

IVSTVS BARONIVS VETERA-
cantrensis

HENRICO CALVINO PATRI,
Henrico Bellano Socero, ceterisq; suis in
Palatinatu Necessarijs, Collegijs
& amicis.

Illuminantem Dei gratiam.

*Apologia
primatu ad
parentes &
necessarios*

ET literis multorum, & sermone omni-
um perfertur ad me, CHARISSIMI, in-
credibilem esse animi vestri grauiter adhuc
in me accensi perturbationem atque iram,
incredibilem totius ciuitatis motum, adeò

vt &

vt & Princeps miretur, & Senatus indigne-
 tur, & populus vobiscum lamentetur, Præ-
 dicantium vero cætus odiosissimis verbo-
 rum ludibrijs incessat religiosissimam me-
 am ad Catholicos transmigrationem. Ego
 verò vt mea causa facilè omnes huiusmodi
 fluctus & tempestates contemno, ita vestra
 causa doleo, vosque paulo minus exanima-
 tos esse opto. Ecquid enim est, ô boni, quã-
 obrem tam tragicè vos habeatis? Ecquid
 est, cur tam sinistra vel ipsi de me passim
 spargatis, vel ab alijs sparsa temerè credatis?
 Nonne ipsi profitemini, hunc esse diuinæ
 religionis genium, vt ^a *separet hominem ad-* *Matth. 10.*
uersus patrem suum, & filiam aduersus ma- *35.*
trem suam, & nurum aduersus socrum suam?
 Nōne agnoscitis, grauiorem esse fidei cau-
 sam, quam quæ parentum amicorū uicē nu-
 tui aut arbitrio committi debeat aut possit?
 Nempe vt Poëtæ tralatitijs verbis dicam:

Temporis aeterni hic, & non tantum vni- *b* *Lucretius*
us hora *L. 3.*

Ambigitur status, in quo sit mortalibus o-
mnis

Ætas, post mortem qua restat cunq̃ ma-
nenda.

Quin igitur hoc pede me vestro meti-
 mini, vt quàm vobis in religionibus maio-
 rum derelinquendis facultatem sumpsistis,
 mihi ipsi quoque concedatis, meque Dei
 potius

potius ac conscientia quam hominum ductum sequi permittatis? Non est iniquior lex vlla, quam quæ in vno probat, quod in altero damnat, quæ non veritatis lance, sed suo apte affectu verum iustumq; pensat. Sed video vlcus animi vestri. Non tam mihi vobiscum res est, quam cum consultoribus vestris: consultoribus inquam prauis, cæcis, ira odioque aduersus Catholicam fidem accensis. Quorum vel tribunitijs concionibus, vel priuatis suggestionibus & calumnijs quandiu vos aures præbebitis, vix est vt ego vllum meæ apud vos excusationis fructum sperare audeam. Verè enim Cicero: *Vt mare inquit, quod sua natura trāquillum sit, ventorum vi agitari constat atq; turbari: sic et homines sua sponte placati, hominum seditiosorum vocibus vt violentissimis tempestatibus concitantur.*

*Pro A.
Lucas.*

Attamen quia nuper Hyperaspistes vester *Parcius*, quem ad me sollicitandum subornastis, sua ad me Epistola, cui respondere me plenè atq; ex voto, vt necessitas postulabat, temporis angustia passa non est, in ipso statim vestibulo decem potissima querimoniarum vestrarum capita commemorauit, quibus & compita, & musæa, & conuiuia, & templa resonare facilè auguror: imo quæ præcipuum doloris vestri fomitem esse omni ratione cognosco: age ne sibilans hæc hydra,

hydra, vel *Decacornis* potius bestia quicquā
 mihi aut vobis molestiæ deinceps facessat,
 nouum illi prælium mouebo, ac singulis
 ordine capitibus excisis hanc luctui vestro
 medicinam, hoc famæ meæ leuamen affer-
 re conabor. Nam quæ insuper *Pareus* vel à
 detortis, vel malè intellectis Catholicæ do-
 ctrinæ capitibus præsidia petit, eiusmodi
 sunt, vt vel tanquam falsa & commentitia
 coargutione non indigeant: vel tanquam
 prolixiora, non sint huius loci. Nam ^d *singu-* *d Epist. ad*
la que hæretici proferunt deliramenta, vt *Marcell.*
brevior Epistola sermo subuertat, necesse non *contr.*
est, ait Marcellæ suæ S. Hieronymus. *Mors.*

Principio igitur, vt *ἀνευ ἡδονῆς ἀποκριπὶς*
 rem ipsam aggrediar, ita summam accusa-
 tionis suæ ebuccinat *Pareus*: *Me contra di-*
uina & humana iura, contra fidem & consci-
entiam meam, contra denique honestatem &
humanitatem omnem, dulcissimos liberos me-
os, cum coniuge mei amantissima, legitimam
vocationem meam, ipsamq; orthodoxam fidem
& Ecclesiam, in qua natus & educatus sim,
clanculum profugum deseruisse; adeoq; & mihi
reatum apud Deum opinione mea grauiorem,
& infamiam apud bonos omnes, vobis verò o-
mnibus dedecus cum dolore acerbissimo, scan-
dalum deniq; publicè in Ecclesia Dei conciliaf-
se. Multiplex certè ac vehemens accusatio,
 si pares probationes. Sed (expectate dum
 pro-

probem) thesaurus quod aiunt carbones. E decem illis quæ impropere piaculis, ne vnum quidem vnus argumentum proferre habet. * Quid enim ipsum primum ac

* I Calūnia
refutatio.

summum, de Iure diuino scilicet & humano à me violato crimen? Ampullæ meræ sunt, & nugæ meræ. Quam in rem non alium nisi vnum Augustinum testem citabo, cuius hæc *dis dia τασων* ab ludæis vox

e Aug. st. de
Gul. creden.
sap. 7.

extat. ^c Omnia diuina & humana Iura permittunt querere Catholicam fidem. Tenere autem & colere per humanum certè Ius licet, si de diuino quādiu erramus, incertum est. Hæc Augustinus. Quid Pareus? Violat inquit diuini & humani Iuris Maiestatem, qui Catholicæ fidei è Calvinismo cultor accedit.

f symb. A.
post. Nica.
Constant.
Eph. s. Chalcedon.

g 1. Tim. 3.
15.

h Deut. 17.
8. & seq.

i Matth. 18.
17.

k Matth. 16.
18. 19.

l Cypr. de G.
nis. Eccl. ca.

3. & Epist.
ad Quirin.

Proh quantum Augustini Pareus, sensus distant! Ait ille, quod hic negat: laudi ducit ille, quod hic probro. At ego te Pareus explicare velim, quod nam Ius diuinum prohibere censeas adire Ecclesiam Catholicā? Quam ^f *symbolo* credere iubemur. Quam ex scriptura ^g *domum Dei viventis, columnam & firmamentum veritatis*, ^h dubiorum interpreterem, ⁱ controuersiarum iudicem esse didicimus? Quam Christus ^k *super Petrum aedificaturū se dixit*? Quam ^l Sancti Patres, oecumenica concilia, sacri Canones in Præfulatu Romani Pontificis, tanquam Principis Episcoporum perpetua stabilitate coherere

tere testantur. Certè parum ad mentem tu-
 am antiquissimus Martyr, purissimusq; A-
 postolorum discipulus IGNATIVS: ^m *Paulin. E-
 pist. 4. ad
 Sever.* Ignatius inquit, qui & Theophorus, misericordia
 consecuta in magnificentia altissimi Dei & sal-
 uatoris nostri, qua presidet in loco ROMANAE
 regionis, Deo digna, decentissima, beatifican-
 da, laudanda, digna qua quis potriatur, castissi-
 ma, & eximie Charuatus Christi & Patris no-
 men ferens spiritu plena, &c. Parum etiam I-
 RENÆVS; Polycarpi & Papiæ discipulorum
 Iohannis discipulus. ² Ad hanc inquit (RO-
 MANAM) Ecclesiam propter potentio-
 rem principatam necesse est omnem conuenire Eccle-
 siam: hoc est eos qui sunt undiq; fideles. In qua
 semper ab his qui sunt undiq; conseruata est ea
 quæ est ab Apostolis traditio. Parum CYPRI-
 ANVS, qui Romanam Ecclesiam ^o *o Cyr. Epi.
 45. & lib.
 de unit. Ec-
 cles. cap. 5.* matricem
 & radicem omnium Ecclesiarum pronuncia-
 uit, ad quam perfidia non possit habere acces-
 sum. Parum denique HIERONYMVS, qui ^p *p Hieron. E-
 pist. 57. ad
 Damas.* non p
 Vitali, non Melitio, non Paulino, sed Carthe-
 drae Petri communionem consociari volebat:
 quod super illam Petram adificatam Ecclesi-
 am sciret, quodq; extra hanc domum agnum
 comedens, profanus & sacrilegus esset, & Anti-
 christi non Christi membrum.

Sed de Patribus tacebo: de Concilijs iti-
 dem. Adiura me vocat ille, Charissimi. Iura
 igitur videamus, & primum quidem Cano-

H nes;

nes, iudices pfecto vobis (vt apparebit) pa-
rum æquos. Quid enim in iplo statim limi-
ne DECRETORVM? [¶] Nolite errare fratres mei
¶ Distinct. charissimi. (ait **DISTINCTIO XI.**) doctrinæ
11. c. 3. ex E- varijs, & extraneis nolite abduci. *¶* Ex Instru-
post. 1. Iulij ta Apostolorum, & Apostolicorum virorum,
Pap. ad E- Canonesq; habetis: his fruimini, his circumda-
pisc. Orient. mini, his delectamini, his armamini; vt his fre-
ti, circumdati, delectati, armati, contra cuncta
inimicorum iacula persistere valeatis. Satis e-
nim indignum est, quemquam vel **PONTIFI-**
CVM, vel ordinum subsequentium, hanc regu-
lam refutare, quam beati **PETRI** Sedem & se-
qui videat, & docere. Multum enim conuenit,
vt totum corpus Ecclesie in hac sibi met obser-
uatione concordet, quæ inde authoritatem ha-
bet, ubi **DOMINUS ECCLESIE TOTIVS POSUIT**
PRINCIPATVM. Et paulò post. [¶] Quis nesciat
aut non aduertat, id quod à **PRINCIPE APO-**
STOLORVM PETRO ROMANÆ ECCLESIE
traditum est, ac nunc vsq; custoditur, ab omni-
bus debere seruari? Nec super induci, aut in-
troduci aliquid, quod aut authoritatem non
habeat; aut aliunde accipere videatur exem-
plum? Præsertim cum sit manifestum, in o-
mnem **ITALIAM**, **GALLIAS**, **HISPANIAS**, **AFRICAM**,
atq; **SICILIAM**, **INSULASq; interiacentes**, nullum
instruisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis
APOSTOLUS PETRVS, aut eius successores consti-
tuerunt sacerdotes: aut legant, si in istis provin-

cujus alius Apostolorum inuenitur, aut legitur docuisse. Quod si legunt, quia nusquam inuenitur, oportet eos hoc sequi, quod Ecclesia ROMANA custodit; à qua nos principium accepisse non dubium est: ne dum peregrinis sermonibus student, caput institutionum videantur omittere.

Iterum **DISTINCTIO XII.** Non decet inquit, à capite membra discedere: sed iuxta sacre scripture testimonium omnia membra caput sequantur. Nulli verò dubium est, quod

(Dist. 12. s. 1
ex Epist. 1.
Calixti Pap.
1. ad Bened.
Epius.

APOSTOLICA ECCLESIA MATER EST OMNIUM ECCLESiarVM, à cuius vos regulis nullatenus conuenit deniare. Et sicut Dei filius venit facere voluntatem patris, sic & vos voluntatem vestre impleatis matris, quæ est Ecclesia: **CVIVS CAPVT** ut prædictum est, **ROMANA EXISTIT ECCLESIA.** Quidquid ergo sine discretionè iustitiæ contra huius disciplinam actum fuerit, ratum haberi ratio nulla permittit.

Sed quid ago Charissimi? Egone vobiscum Canonibus pugno? quos alij vestrum capitali iudicio ad rogam damnarunt: alij ridiculè inter clauas Antichristi numeratos, non magis se lædere posse arbitratur, quam gladius Aeneæ potuit

e Lutheris
Wittenb. ad
Portam El-
ster. Sive
Pseudosub-
meum Wit-
u Franc. Lu-
nius comm.
in Adocal.
x Virg. l. 3.
Aeneid.

**Obscenas Pelagiferro scedare volucres,
Quæ neq; vim plumis ullam nec vulnera
tergo**

**Accipiunt, celeriq; fuga sub sidera lapsæ
Semesam prædam, & vestigia fœda relin-
quunt.**

H 2 Mu-

y Augustin. tract. 6. ad c. 1. Ioan. De finē 8. c. 1. Mutatis igitur telis humana iura videamus, quæ *Augustino teste in legibus Regum & Imperatorum posita sunt.* Hic verd in manibus presens victoria, ut ego quidem eundem hæreticum & iureconsultum bonum

IVRECON
 SVLTVS
 BONVS
 HAERETI
 CVS ESSE
 NON P O-
 TEST.

*2 Tit. THE
 OLOGIA
 IVRIDICA*

*a Lactant. lib. 2. cap. 9.
 b Plato in Laches.
 c. De sacris
 fuis Missæ.*

credere ægerrime possim. Nam quod medici dicere solent, obliuisci Medicum professionis suæ, qui humanitatis obliuiscatur: id ego longè rectius de Iureconsulto censeam, obliuisci *Iustiniani sui*, qui Romanæ Ecclesiæ obliuiscatur. Tot enim ac tamen uidentes passim in *Codice* atque *Authenticis* pro SS. Romana Ecclesia, proque omni eius fide atque œconomia constitutiones extat: ut iam pridem eruditus vir IOAN. BAPTISTA FICKLERVS integro super hoc argumento 2 libro concinnato plurimis legum exemplis reddiderit manifestum, non Sanctorum tantum Patrum & Conciliorum, non Sacrorum tantum Canonum scita & decreta, sed & ipsas Ciuiles Imperatorum leges in hanc Catholicam & Apostolicam Romanâ fidem ^a vno Spiritu & pari, quod aiunt voce, ^b quasi *Dorie* cōcinere. Exemplo esse poterant Sanctissimæ ^c super sacrificio Missæ constitutiones. *Authent. ut in priuat. domib. sacra mysteria non fiant. 5. 13. 58. Et Authent. Sed nouo Iure. C. de Episc. & Cleric. Et Authent. ut clerici qui recedunt alijs pro eis subrogat. præb. emol. & c. 5. 12. 57. Et Authent. de ordinat.*

ordinat. Episc. & Cleric. 9. 20. 137. Item^d CON-
 STITVTIO de Ecclesie Catholice templis &
 oratorijs: Vbi primum de Iure Ecclesie &
 pœna violatorũ. *L. Iubemus. C. de Sacros. Ec-*
cles. Et L. si quis in hoc. C. de Sacros. Ec-
cles. De inde de Fundatione Ecclesiarũ, eiusq; cau-
 sa & expensis. *L. 41. (quæ in nonnullis Codici-*
bis 43. est, & in recentioribus ponitur in lib.
pratermiss. Class. 1.) C. de Episc. & Cleric. Et
Proem. Authent. ut determinatus sit numer.
Cleric. §. Inuestigantes. Et Authent. ut nullus
fabricet oratory domos, præter voluntatem E-
piscopi. §. 22. 67. Et Authent. de non alienand.
aut permutand. rebus Eccles. 2. 1. 7. Et L. 20. C.
de heret. & Manich. Tertio de Ecclesijs nul-
la molestia sed honore afficiendis, & hære-
ticorum vsui minimè concedendis. L. de-
nunciamus. C. de his qui ad Ecclesias confug. Et
L. 1. C. de offic. Præf. Prætor. Africa. Et L. si
qui Orthodoxa. C. de heret. & Manich. Et L. 3.
§. arma quoq; C. de his qui ad Eccles. confug. Et
Authent. ut liceat matri & auia & c. §. quia
verò ita 8. 18. 117. Quarto de Asyly Ecclesia-
rum. L. 3. C. de his qui ad Eccles. confug. Item
 e^o CONSTITVTIO de Episcopatus dignitate: *e III. De E-*
 vbi primum de Electione Episcopi & con- *piscopati*
 secratione. *L. si quenquam C. de Episc. & Cle-* *dignitate*
ric. Et Authent. quomodo oporteat Episcopos & *& officio.*
reliq. Cleric. ad ordinationem adduci. 1. 6. 6. Et
Authent. de Sanctiss. Episcop. & Deo amabili-
 H 3 bus

d De Eccles.
 Cathol. tem
 pl. & ora-
 torijs.

e III. De E-
 piscopati
 dignitate
 & officio.

bus & reuerendissimis Clericis & Monachis 9.
 6.123. Et Authent. de ordinat. Episcop. & Cle-
 ric. 9. 20. 137. Deinde de Cathedra seu resi-
 dentia Episcopi. Authent. ut nullus fabricet
 orator. domos. præter volunt. Episc. 5. 22. 67. Et
 Authent. quomodo oporteat Episcopos & reli-
 quos Cleric. ad ordinat. adduci. 1. 6. 6. Et Au-
 thent. de Sanctiss. Episcop. & Deo Amabil. &
 reuerendiss. Cleric. & Monach. 9. 6. 123. Tercio
 de Episcoporum cœlibatu. Authent. Episco-
 po C. de Episcop. & Cleric. & L. si quenquam.
 C. de Episc. & Cleric. & Authent. quomodo o-
 porteat Episc. & Cleric. ad ordinat. adduci. 1.
 6. 6. 5. & neq. uxori cum §. seq. Et Authent. de
 Sanctiss. Episc. & c. §. sancimus, & §. presbyteris
 9. 6. 123. Item ^f CONSTITVTIO de communi
 Clericorum statu, votoque cœlibatus seu
 castitate ab eisdem obseruanda. Vbi primū
 de personis ad munus Ecclesiasticum deli-
 gendis. L. 41. C. qua aliās in lib. Prætermiff. C.
 class. 1. recensetur.) C. de Episcop. & Cleric. Et
 Constitut. 115. §. sancimus apud. Iulian. Patrio.
 Deinde de Constantia religionis & sacer-
 dotij. L. qui quis emensis C. de Episcop. & Cle-
 ric. Et Authent. quomodo oport. Episcop. §. se-
 mel autem 1. 6. 6. Et Authent. sed neq. C. de E-
 pisc. & Cleric. Et L. final. C. de Apostat. Ter-
 tio de frequentia & multitudine clerico-
 rum apud veteres etiam Christianos. Au-
 thent. ut determinat. sit numer. Cleric. San-
 ctiss.

fiv. De Cle-
 ricorum vo-
 to ac cœli-
 batus.

Etiss. maioris Eccles. §. quapropter sancimus 1. 3. 3. Et Nouell. constit. ut. 5. apud Iulian. Patric. §. non liceat. Quarto de priuilegijs & immunitate Cleri. L. generaliter. C. de Episcop. & Cleric. Quinto de voto, cœlibatu & castitate Clericorum. Authent. quomodo oport. Episcop. & Cleric. §. hæc autem 1. 6. 6. Et Authent. de lenonibus 3. 1. 14. Et Authent. Episcopo C. de Episc. & Cleric. Et L. 41. (aliàs in lib. praetermiss. C. class. 1.) C. de Episcop. & Cleric. §. conuenit. Et Authent. de Sanctiss. Episc. & c. §. presbyteris 9. 6. 123. Et L. eum qui C. de Episc. & Cleric. Et Authent. multò magis. C. de Episc. & Cleric. Et L. si Presbyter. C. de Episcop. & Cleric. & Authent. de Monach. §. si quis autem. 1. 5. 5. Et Authent. de Sanctiss. Episcop. & c. §. si autem tempore. Et §. Presbyteris 9. 6. 123. Et Authent. de ordinat. Episcop. & Cleric. §. quod autem 9. 20. 137. Item ^{§ V. De Monachis & Monialib.} CONSTITUTIO de vita monastica, & continentia in monasterijs seruanda. Authent. de Monachis. 1. 5. 5. Et Authent. de non alienandis aut permittand. bonis Eccles. §. quia verò non cognouimus 2. 1. 7. Et Authent. de Sanctiss. Episcop. & c. §. iubemus cum §. seqq. 9. 6. 123. Vbi etiam de foro conuenienti Monachorum. Authent. apud quos oport. causam dicere Monachos & Ascetrias. 6. 8. 79. Deinde de raptu seu corruptione sacrarum virginum. L. si quis 1. C. de Episcop. & Cleric. Et L. Raptores. C. eodem.

Et *Authent. quomodo oport. Episcop. & Cleric.*
§. quanta igitur. 1. 6. 6. Et Authent. de Sanctiss.
Episcop. §. si quis rapuerit. 9. 6. 123. Item^h CON-
STITVTIO de Sanctorum Patrum traditione
& doctrina constantissime obseruanda. L.
5. C. de Summa Trinit. & fide Catholica. Et L.
6. C. eodem §. necessarium. Et Authent. quo-
modo oport. Episcop. & Cleric. & c. circa insti-
tum. & §. sed etiam 1 66. Et Authent. ut Cleri.
apud proprios Episcop. prim. conueniantur. 6.
12. 83. Et Authent. de Ecclesiastic. tit. & priui-
leg. circa initium. 9. 13. 131. Itemⁱ CONSTITV-
TIO de Sacrorum Conciliorum immota fi-
de & autoritate. L. 2. & L. nemo Cleric. (
de summa Trinit. & fide Catholica. Et Edict.
ad popul. Constantinopol. quod per Demetri-
um & Hypatium Episcopos ad Ioan. II Pon-
tif. Roman. transmisit. §. Trecenti. & §. quoni-
am autem. Et L. quicumq. C. de heret. & Ma-
nich. Et Authent. ut cum de appellatione cogno-
scitur, secundum illas leges debeat indicari,
qua tempore late sententia & suggestionis ob-
tinebant §. si quis de predictis §. 16. 115. Et Au-
thent. de Ecclesiasticis tit. & priuileg. §. sanc-
imus. 9. 14. 131. Item^k CONSTITVTIO de pœni-
tentiæ Sacramento & Confessione. Edict.
ad Constantinopol. de his qui luxuriantur con-
tra natur. 9. 23. 141. Et L. Hi qui sanctam. C.
de Apostat. Et Authent. ut non luxurientur
homines contra natur. nec iarent per capillos
Dei

h VI. De Tra-
ditionibus
Patrum ob-
seruand.

i VII. De au-
thoritate
Conciliorū.

k VIII. De
Pœnitent. &
confessione.

Dei 6.6.77. Item^l CONSTITVTIO de Sancto-
rum cultu & inuocatione Deiparæ Virgi-
nis Mariæ. *Authent. In iurandum quod præ-*

*lix. De cul-
tu & Inuo-
cat. Sancto-
rum.*

statut ab his, qui administrationes accipiunt.
Collat. 2. tit. 3. Et L. 6. C. de Summa Trinit. &
fide Catholica. Et *Authent. ut determinatus*
sit numer. Cleric. & c. §. sancimus 1. 3. 3. Et Au-
thent. de Ecclesiasticis tit. & priuile. 9. 14. 131.
Et L. 1. C. de offic. Præfetti Prætor. Africa.

Item^m CONSTITVTIO de Sanctorum reli-
quiis venerandis. L. 3. C. de Sacrosanct. Ec-
cles. Et L. decernimus C. de Episcop. & Cleric. & c.

*m X. De Re-
liquiis Sã-
ctorum.*

Itemⁿ CONSTITVTIO de Sanctæ crucis ve-
neratione, inuentione & autoritate. L. *Cruce vene-*
cum sit nobis. C. nemini licere signum Saluato-

*n XI. De S.
cruce vene-
randa.*

ris Christi, humi vel in silice, vel in marmore
aut in sculpere, aut pingere. Et L. Iudeos C. de
Iudeis & cœlicolis. Et Authent. sed nouo iure.
C. de Episcop. & Cleric. Et L. decernimus C.
eodem. Et *Authent. de Sanctiss. Episc. & c. §. o-*
mnibus autem laicis, 9. 6. 123. Quod ipsum
Sanctæ Crucis signum in consecratione
quoque templorum adesse voluit Impera-
tor. *Authent. de Monach. §. illud igitur. 1. 5.*
5. Et Authent. ut nullus fabricet orator. do-
mos & c. §. primo. 5. 22. 67. Et Authent. de Ec-
clesiasticis tit. & priuileg. §. si quis autem. 9. 14.
131. Et *Authent. de moderatore Hellenoponti.*
§. Namque ab omnibus. 4. 7. 28. Vbi Helena
Constantini Magni mater, pientissima mu-

H 5 hier,

o XL. De
Festis San-
ctorum.

p XIII. De
meritis Bo-
narum ope-
rum de q̄
Iustificat.

q XIV. De
Litanis,
Processionib.
Et horis Ca-
nonicis.

v XV. De ie-
iunio Qua-
dragesimæ.

f XVI. De
penis in ha-
reticos Sa-
cros.

lier, nobis sacrum Christianorum signum
inuenisse dicitur. Itē^o CONSTITVTIO de fe-
storum dierum obseruatione. *L. nemo dein-*
ceps. C. de Episc. audientia. Et L. 2. § l. omnes
Iudices. § L. quadraginta Et l. omnes dies
Et l. actus omnes. Et l. prouinciarum. Et L.
final. C. de feriis. Item^p CONSTITVTIO de
honorum operum meritis & Iustificatione.
Authent. de Sanctiss. Episcop. & c. §. sed neque
9. 6. 123. Et Authent. ut cum de appellat. co-
gnoscitur, secundum illas leges iudicetur, que
tempore lre sententiæ obtinebant. §. Si unum.
8. 16. 115. Et l. 41. C. de Episc. & Cleric. Et Au-
thent. ut determinat. sit numer. clericorum. §.
Sicut enim. 1. 3. 3. Item^q CONSTITVTIO de
publicis precib. seu litanis & horis Cano-
nics, nec non de publicis processionibus
seu supplicationib. l. 41. §. Præterea sanc-
imus C. de Episcop. & Cleric. Et Authent. de
Ordinat. Episcop. & Cleric. § Illud quoq. 9. 20.
137. Et Authent. Sed nouo iure. C. de Episc. &
cleric. Et Authent. de Sanctiss. Episcop. & c. §.
Si quis cum sacra. Et §. Omnibus autem laicis.
9. 6. 123. Item^r CONSTITVTIO de Sanctiss.
Quadragesimæ Ieiunio l. quadraginta. Et l.
penult. C. de Feriis. Deniq; ut multa alia hu-
ius generis præteream, § CONSTITVTIO de
rebellibus in Catholicam Romanam Ec-
clesiam Hæreticis non solum vitandis, sed
& proscribendis, & damnandis, atque vlti-

mo

mo supplicio afficiendis. Cuius argumenti est *L. 2. & 6. C. de Summa Trinit. & fide Catholica.* Et *L. omnes vetite.* Et *L. Ariani.* Et *L. quicumq.* Et *L. damnato. C. de Heret. & Manich.* Et *Authent. de depositione Anthimi & Severi. 4. 21. 42.* Multo verò expressius *L. Manich. 4.* Et *L. cognouimus 19. C. de Heret. & Manich.* Et *L. eum. qui C. de Apostat.* Et *L. Nemo Clericus C. de Summa Trinit. & fide Catholica.* Item *l. 3. & 5. & 6. C. eodem.* Et *l. final. §. His ita dispositis C. de Episc. & Cleric.* Et *l. Nemo in foro C. de Episcopali audientia.* Et *l. 1. C. de Heret. & Manich.* Et *Authent. item priuilegium.* Et *Authent. credentes.* Et *Authent. si verò Dominus.* Et *l. Ariani.* Et *l. quicumq.* Et *l. cognouimus.* Et *l. quoniam.* Et *l. diuinam. C. de Heret. & Manich.* Item cætera ferè omnes eiusdem tituli leges & Authentica. Quibus multa etiam ex ipsis *Novellarum Collationibus* adijcere liceret: Vt & de prohibitis hæreticorum scriptis, de interdictis conciliabulis, atque alijs huius generis rebus complurimis: nisi breuitati studendum viderem.

Hæc igitur vt dixi, atq; alia his complura, luculentissimo nobis exemplo atque argumento esse poterant, firmissimi istius omnis diuini & humani iuris, ad quod me vocat PAREVS, in vnam Catholicam & Romanam fidem consensus: præsertim si singularum legum

legum aut Constitutionum grauissima verba ordine ad lancem appensa oculis subijceretur. Sed quia id nimis longū ac tædiosum foret: imo quia tam vberē stylo librum potius quam Epistolam exaraturi essemus: age prætermisissis ambagibus illis, vnicum illud caput (quod instar omnium est) de Sacrosancta Romana Ecclesia auctoritate, deque perfidia eorum, qui ab eius cōmunionē defecerunt, videamus. Hoc enim rectè constituto, nulli dubium esse potest, eius Ecclesie magisterio antiquissimorum Imperatorum fidem fuisse consonam, quam præ omnibus venerati, summis & priuilegijs cinxerunt, & laudibus in cælum vsque extulerunt. De hoc autem capite ita Gratianus, Valentianus & Theodosius Imp. l. i. C. de Sūma Trinit. & fide Catholica, &c. Cunctos inquit, populos, quos clementie nostrae regit imperium, in tali volumus religione versari, quam Diuum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio vsque adhuc ab ipso insinuata declarat, quamque Pontificem Damasum sequi claret. Hanc legem sequentes, Christianorum Catholicorum nomen iubemus amplecti: reliquos verò dementes, vesanosq; iudicantes, heretici dogmatis infamiam sustinere, diuina primum vindictā, post etiam motus animi nostri, quem ex cœlesti arbitrio sumpserim⁹, ultione pleclendos. Et Iustinianus Imp. in Epistola ad

LXVII. De
 Persecutis
 S. auctor.
 Romana Eccl.
 sia.

la ad Ioan. Papam II. quæ vna cum eiusdem Pontificis responsione inter leges Codicis sub tit. de Summa Trinit. & fide Cathol. ab ipsomet Iustiniano relata est. Reddentes inquit, honorem APOSTOLICÆ SEDI & Vestræ Sanctitati (quod semper nobis in voto & fuit & est) & ut decet patrem honorantes vestram beatitudinem, omnia quæ ad Ecclesiarum statum pertinent, festinavimus ad noticiam deferre Vestræ Sanctitati: quoniam semper nobis fuit magnum studium unitatem vestræ Apostolicæ sedis, & statum sanctarum Dei Ecclesiarum custodire, qui hæcenus obtinet, & incommotè permanet, nulla intercedente contrarietate. Idcirco omnes Sacerdotes uniuersi Orientalis tractus & subycere & unire Sedi Vestræ Sanctitatis properavimus. In presenti ergo quæ commota sunt (quamuis manifesta & indubitata sint, & secundum APOSTOLICÆ VESTRÆ SEDIS doctrinam ab omnibus semper sacerdotibus firmè custodita & prædicata) necessarium duximus, ut ad noticiam Vestræ Sanctitatis perveniant. Nec enim patimur quicquam, quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quamuis manifestum & indubitatum sit, quod mouetur, ut non etiam Vestræ innotescat Sanctitati, ² QUÆ CAPUT EST OMNIVM SAN-

*u Pontifex
d. statum Ec-
clesiarum
cer: ror de
de: dno.*

*x Romana
Ecclesia ca-
put omnia
Ecclesiarum*

CTARVM ECCLESIA RV M. Per omnia enim (ut dictum est) properamus honorem & auctoritatem crescere Vestræ Sedis, &c.

Huic

Huic Epistolæ Imperatoriæ in hæc verba Pontifex rescripsit, quæ ipsa quoq; inter leges Cod. subeodem i. Tit. relata habentur. Inter claras sapientiæ ac mansuetudinis vestre laudes, Christianissime Principum, puriore luce, tanquam aliquod sydus irradiat, quod amore fidei, quod charitatis studio, edocti Ecclesiasticis disciplinis, Romano Sedis reuerenti- am conseruatis, & ei cuncta subijcitis, & ad eius deducitis unitatem, ad cuius auctorem, hoc est, Apostolorum primum Domino loquente præceptum est, ¹ pascite oues meas. ² Quam esse omnium verè Ecclesiarum caput, & Patrum regula, & principum statuta declarant, & pietatis vestre reuerendissimi testantur affatus.

3 Ioan. 21.
17.
2 Rom. ca-
pus.

Iterum Iustinianus Imp. in Edicto ad populum Constantinopolitanum, quod ad Ioan. Pontif. Rom. II. misit. circa fin. §. super hæc autem omnia. Dioscorus, qui cum nihil in fidem peccasset, tamen propter solum Ecclesiasticum ordinem à sancta Ecclesia Romana anathematizatus est. Et in principio Authent. vt Ecclesia Rom. cent. ann. gaudeat præscript. 2. 4. 9. Vt legum Originem anterior Roma sortita est: ita & summi Pontificatus apicem apud eam esse, nemo est, qui dubitet. Vnde & nos necessarium duximus, patriam legum, fontem sacerdotij, speciali nostri nominis lege illustrare, vt ex hac in uniuersas Ecclesias Catholicas, quæ usq; ad Oceanum posite sunt,

sunt, saluberrima legis vigor extendatur, & sit totius Occidentis nec non & Orientis, & c. lex propria ad honorem Dei consecrata. Et ibidem. §. quod igitur. Quod igitur nostra aeternitas ad omnipotentis Dei honorē veneranda sedis summi Apostoli Petri dedicavit: hoc habeant omnes terrae, omnes Insulae totius Occidentis, quae usq; ad ipsius oceani recessus extenduntur, nostri Imperij providentiam per hoc in aeternum. Idem in Authent. de Eccles. tit. & privileg. 9. 14. 131. Sacrorum Conciliorum dogmata sicuti sanctas scripturas, accipimus: ideoque sancimus, secundum earum definitiones, sanctissimum senioris Romae Papam, primum esse omnium sacerdotum. Beatissimum autem Archiepiscopum Constantinopoleos novae Romae, secundum habere locum post sanctam Apostolicam senioris Romae sedem. Et in Authent. de depositione Anthimi & Severi 14. 21. 42. Quid nuper factum sit circa Anthimum, scimus, qui quidem deiectus est de Sede huius regiae urbis (Constantinopolis) à sancta & gloriosa memoria Agapeto, sanctissima Ecclesiae antiquae Romae Pontifice, eò quod nullo modo sibi ipsi conveniens, contra omnes sacros canones se intruserat, & c. Et in constitut. Nouell. CXIX. §. 2. apud Iulium Patricium, Antecessorem Constantinopolitanum. Papa Romanus prior omnibus Episcopis & Patriarchis sedeat. Denique idem Iustinianus Imp. ad Eu-

Eulalium Episcopum & Eccles. Carthagi-
nensem. Prima salus rectæ fidei regulam cu-
stodire, & à constitutis Patrum nullatenus de-
uiare, & quia non potest Domini nostri Jesu
a. Matth. 16
18. Christi prætermitti sententia, dicentis: ^a in es
 Petrus, & super hanc Petram edificabo Eccle-
 siam meam. Et hæc quæ dicta sunt, rerum pro-
 bantur effectibus, quia in sede Apostolica extra
 maculam semper est Catholica seruata reli-
 gio. De qua spe & fide minimè separari cupi-
 entes, & Patrum sequentes constituta, ana-
 thematizamus omnes, qui contra Sanctam
 Romanam & Apostolicam Ecclesiam super-
 biendo, suas erigunt ceruices, sequentes in o-
 mnibus Apostolicam Sedem, & predicantes
 eius omnia, spero ut in una communionem vo-
 biscum, quam Sedes Apostolica predicat, esse
 merear, in qua est integra & vera Christianæ
 religionis & perfectæ soliditas, promittens se-
 questratos à communionem Ecclesie Catholice,
 id est, non consentientes Sedi Apostolica, eorum
 nomina inter sacra non recitanda esse myste-
 ria. Quod si in aliquo à professione mea deui-
 are tentauero, his quos damnauimus, duplicem meam
 sententiam esse profiteor. Hanc professionem me-
 am manu mea subscripsi, & Bonifacio Sancto
 & venerabili Pape urbis Romæ direxi, da-
 mnans & antecessores & successores meos, &
 omnes, qui Sanctæ Romanæ & Apostolicæ Ec-
 clesie privilegia cassare nituntur. Hinc enim
 super-

N. B.

superne misericordie documentum perdoce-
 tur, quando & mundani principes causas fidei
 cum Reipub. ordinatione coniungunt, & Ec-
 clesiarum presules, quod ad dispensationem su-
 am pertinet, officij memores exequuntur. Tali-
 bus enim indigebat post discordie procellas re-
 ligio Christiana rectoribus, qui compressis pro-
 uida dispensatione turbulibus, diu peregrina-
 tam pacem depulsa tempestate reducerent, ut
 in futura post secula ad propositi sui exempla
 tendentes, sibi ascribendum indubitanter o-
 stenderent, quicquid Domino placitum poste-
 ris pro sua imitatione fecissent. Benedicamus
 Dominum, fratres charissimi, nostris hoc die-
 bus fuisse concessum, & totis orationum & cu-
 rarum viribus admittamur, ut quae Dei ope bene
 coepta sunt, ipso adiuvante per omnia comple-
 antur. Sperandum enim est, ut ad compagem
 corporis sui reliqua, quae adhuc diuisa sunt,
 membra festinent, & a potioribus minora non
 discrepent.

Audin' PAREE (tibi. n. cantilenam hanc ca-
 no) audin' quid diuini & humani iuris my-
 stae de Romanae Ecclesiae fide & communi-
 one sentiant? Audin' quam prouide ad
 hoc me tribunal vocaris? Non sic ^b *Marius* ^b *Tribell.*
 suo telo perijt, ut ego hic tuo te iugulare gla- ^{Pollio.}
 dio possim. Tu enim ille diuini & humani
 iuris perduellis, qui non solum nouam
 & ab Apostolica sede alienissimam fidem

I mor-

mordicus amplecteris & tueris: sed & quod
 peius est, idem nouitatis tuæ virus multis
 simplicibus atq; imperitis adolescentibus,
 qui quid optimum sit, per ætatem iudicare
 nondum possunt, non inhalas tantum aut
 instillas, sed & infundis prope atque intru-
 dis. Ut si è sacris te percellere cogitarem,
 promptum esset illud Christi fulmen. ^d *Va*
 vobis Scribe & Pharisei hypocrite: qui circu-
 tis mare & aridam, ut faciatis unum profe-
 lytum, & cum fuerit factus, facitis eum filium
 gehennæ duplo quàm vos. *Va* vobis duces cæci,
 &c. Sed legum nunc aduersus te mucroné
 destingere malo, vt qui ad leges provo-
 casti, legum auctoritate cadas: quemadmo-
 dum ^e *Brasidas* ille in prælio iaculum sibi per
 scutum adactum è vulnere extraxit, eoque ipso
 hostem suum interfecit. Credas igitur mihi
 velim *Parsee*, non esse in vllum fermè cri-
 men seueriora aut asperiora iura, quàm in
 hæresin. Quod vt in re præsentis videas, ex
 tibi è quàm plurimis duas, quæ mihi nunc
 incidunt, potissimas Constitutiones, reli-
 quarum sui similiur abundantissimas testes.
 Vna est in l. 4. C. de heret. & Manic. Vbi *Arca-*
dus, *Honorius*, & *Theodosius Imppp.* *Ma-*
nichæos inquit, seu *Manichæas*, vel *Donati-*
stas meruissimè seueritate persequimur. Huic
 itaq; hominum generi nihil ex moribus, nihil
 ex legibus cõmune sit cum cæteris. Ac primum
 volu-

*a Cicer. 4.
 ad.*

*d Matth. 23
 15.*

*e Plutarch.
 in apoph.*

*f De penit
 hereticorū
 constitutio
 941.*

volumus esse publicum crimen. Quia quod in religionem diuinam committitur, in omnium fertur iniuriam. Quos bonorum etiam omnium publicatione persequimur. Ipsos quoque volumus amoueri ab omni liberalitate & successione, quolibet titulo veniente. Præterea non donandi, non emendi, non vendendi, non postremo contrahendi, cuiquam conuicto relinquimus facultatem. In mortem quoque inquisitio extendatur. Nam si in criminibus maiestatis licet memoriam accusare defuncti, non immerito & hic debet subire tale iudicium. Ergo & suprema illius scriptura irrita sit, siue testamento, siue codicillo, siue Epistola, siue quolibet alio genere reliquerit voluntatem, qui Manichæus fuisse conuincitur, sed nec filios heredes eis existere, aut adire permittimus, nisi à paterna prauitate discesserint. Delicti enim veniam poenitentibus damus. In eos etiam auctoritatis nostræ aculei dirigantur, qui eos domibus suis damnanda prouisione defendunt. Seruos insuper extra noxam esse volumus, si Dominum sacrilegum euitantes, ad Ecclesiam Catholicam seruitio fideliore transferint.

Altera constitutio est in l. 8. C. eodem tit. ubi Valentinianus & Marcianus Impp. sic decernunt. Vniuersi heretici non Ecclesias, non Monasteria sibi construant: parasynaxes & conuenticula, tam diurna quam nocturna non contrahant: neque ad domum, vel possessio-

nes cuiusquam, neque ad Monasterium, vel quemcumq; alterum locum operaturi, secta suestissima congregentur. Quod si fecerint, hoc factum fuisse Domino volente constituerit, post rem in examine iudicis approbatam, domum vel possessionem eius, in qua conuenerint, vel monasterium, eius ciuitatis orthodoxa Ecclesia, in cuius territorio est, iubemus addici. Si vero ignorante Domino, sciente vero eo, qui pensiones domus exigit, vel auctore vel conductore praedy parasynaxes & conuenticula interdicta collegerint, conductor vel procurator, sine auctoritate, vel quicumq; eos in domum, vel possessionem, vel monasterium receperint, ac passi fuerint illicitas parasynaxes conuentusq; celebrari: si vilis & abiecta sint conditionis, fustibus publicè & in poenam suam, & in aliorum coerceantur exemplum. Si honesta verò sint persona, decem libras auri mulctæ nomine fisco nostro cogantur inferre. Nullum praeterea Apollinaristam vel Eutychnianistam ad aliquam iubemus aspirare militiam. Et si inuenti fuerint militari cingulo soluti, honestorum hominum & palatii communionem priuentur: nec in aliqua, nec in qua nati sunt, ciuitate vel vi-co, aut regione versentur. Si qui verò in hac alma vrbe nati sunt, tam sacratissimo comitatu, quam omni per prouincias metropolitana ciuitate pellantur. Nulli insuper Eutychnianista, vel Apollinarista publicè vel priuatim cō-

uoca-

uocandi cætus, vel circulos contrahendi, & de errore heretico disputandi, ac puerilitate facinorosi dogmatis adserendi, tribuatur facultas. Nulli contra venerabilem Chalcedonensem Synodum liceat aliquid vel dictare, vel scribere, vel edere, atq; emittere, aut aliorum dicta vel scripta super eadem re proferre. Nemo huiusmodi habere libros, & sacrilega scriptorum audeat monumenta seruare. Quod si qui in his criminibus fuerint deprehensi, perpetua deportatione damnentur. Eos vero, qui discendi studio adierint, de infauista hæresi disputantes, decem librarum auri, que fisco nostro inferende sunt, iubemus subire dispendium. Ultimo etiam supplicio coerceantur, qui illicita docere tentauerint. Omnes vero huiusmodi chartæ ac libri, qui funestum Eutycheis scilicet, & Apollinarij complexi fuerint dogma, incendio concrementur, ut facinorose puerilitatis vestigia flammis combusta depereant. Aequum namq; est, ut immanissima sacrilegia par pœne magnitudo percellat: scientibus moderatoribus prouinciarum, eorumq; apparitoribus, defensoribus etiam ciuitatum, quòd si ea que legis huius religiosissima sanctione custodienda decernimus, aut neglexerint, aut aliqua permiserint temeritate violari: denarum librarum auri mulctam fisco nostro inferre cogantur: insuper etiam existimationis suæ periculum sustinebunt.

Virgil. 3.
Aeneid.

Heu heu *Paree*, quos tibi, quos tuis parum cumulos accerfis! Non sic *Aetna Enceladus*, vt tu mole hac premeris, modo non brutam illam Stoicorum *ἀναισθησίας* indueris. Nec blandiare tibi, priscorum tantum illorum monstrorum, *Manichæi*, *Nestori*, *Eutyckis*, *Apollinaris*, &c. mentione in hisce sanctionibus fieri, nullam *Caluini*, *Lutheri*, aut tui. *Quæ de Samaritis lege statuta sunt, circa Synagogas & successiones: obtinent & in Montanistis, & Ascodrogitis, & Ophitis*, ait l. 18. C. de hæret. & Manich. Et *Hereticis quamuis est in appellatione diuersitas, tamen est in heresis prauitate coniunctio, & dispar quidem nomen, sed idem sacrilegium*, ait l. 8. C. eodem. *Hereticorum autem vocabulo continentur, & latis aduersus eos sanctionibus succumbere debent*, QUI VEL LEVI ARGUMENTO A IUDICIO CATHOLICÆ RELIGIONIS ET TRAMITE DETECTI FVERINT DEVIARE, ait l. 2. C. eodem tit. Quod vtrum tu facias *Paree*, non est nunc disputandum: aded quippe manifestum, vt non ratione inquiri, sed manibus palpari possit. Deniq; si recentia Edicta postulas, vide quæ laudatissimus Imperator CAROLVS V. *Wormatiæ* in comitijs 8. Idus Maij M. D. XXI. aduersus *Lutherum* eiusq; coniuratos feuerissima sanctione promulgauit: habebis quæ culpæ tuæ pondus, innocentiæ meæ leua-

leua-

leuamen afferre queant. Atq; hæc de primo *II. Cal-
 accusationis tuæ capite plus forsan satis. *lumnia*

Ad *ALTERVM venio, vbi fidem & con- *confutatio.*
 scientiam meam petens, obliquè innuere

vis, (quæ certè vobis in omnes Catholicæ
 fidei profelytos, veteres & novos, familia-
 rissima calumnia est) non tam veritate &
 religione, quàm lucri aut honoris, aut glo-
 riæ cupiditate, etiam contra interioris pe-
 ctoris dictamen, ad Romanæ Ecclesiæ soci-
 etatem me conuolasse: parumq; abest, quin
 Satyrici illius telum in me contorqueas :

b Quid sentire putas omnes Calvine recèti
 'De scelere, & fidei violata crimine ?

b Iuuenal.
 Satyr. 13. ad
 Caluim.

Sed ego tibi hic Augustinianum sta-
 tim clypeum obuerto, quo & ipse quon-
 dam simile *Secundini Manichei* iaculum *i Augustin.*
 populsauit. *Tristis* inquit, *sum, quod tenaci-* *contr. Se-*
ter inhesisti suspitionibus falsis, partim aduer- *cundis.*

sus me, partim aduersus ipsam que mutari nō *Manich c. 1.*
potest veritatem. Vtquam ne fides est, quæ *k* *August.*
 non *k* *anima immortalitatem* propositam *de Ser. cre-*
habeat & vel præmia bonorum, vel pœnas *dend. ca. 7.*

malorum factorum? Potest ne igitur quis-
 quam conscientiaæ meæ tam iniquus arbi-
 ter esse, vt quam hæctenus in Calviniano
 errore integram saluamq; iudicauit, nunc
 in Christi fide læsam *l. Tim. 4.*
 nunciare audeat? Non non ita impio corde
 sumus, vt Dei omnipotentis metum tam
 viliter habeamus, & contra quam mens se-
 rid

*m Eze. h.
13. 19.*

riò credat, propter^m pugillam hordei & fragmen panis, cum huius & futuræ vitæ periculo, patrio solo exules profiteamur. Nemo cyclops positum in visceribus suis Dei tribunal tam fastuosè euerterit. Fortasse rudera illi sua nesciunt, qui in alieno fundo tam altas turres non suspicantur. Ac nos

*n Cic. Orat.
pro Mlon.*

quidem iam inde à pueris edocti, ⁿ magnam vim habere conscientiam in utramq; partem, ut semper poenam ante oculos versari putent, qui peccauerint: & nihil timeant, qui nihil ad-

*o Cic. Orat.
pro Rosc. A-
meris.*

miserint: nos edocti, non ut^o in fabulis saepe numero videmus, eos qui aliquid impiè scelerateq; commiserint, agitari, & perterriti furiarum tedis ardentibus: sed sua quemq; fraude, suo terrore maxime vexari: suo quemq; scelere agitari, amentiaq; affici: suis malis cogitationibus conscientijsq; animi terreri: hasq; esse impijs assiduas domesticasq; furias, quæ dies noctesque poenas à consceleratissimis hominibus repetant: Hæc inquam iam dudum piè sancteque edocti, tam matura ac prouida ætate tantum in animam nostram facinus admittere: tam diro vulnere tenerrimam sauciare conscientiam voluisse, qui credi possumus? vix cadere posse in hominem puto tam grande nefas: vix ipsam suspicionem: nisi (quem supra memoravi) Sanctissimi Augustini me exemplum coargueret. Qui cum olim pari nobiscum exemplo paucis agellulis

gellulis paternis contemptis, à Manichæorum
 rabie ad liberam Dei seruitutem conuersus
 esset, non solum principio à Secundino Ma-
 nichæo, sed & postmodum ad Episcopale fa-
 stigium euectus, ab æmulis in hanc mali-
 gnam ambitionis & φιλαργυρίας suspici-
 onem subinde vocatus est. ^p Ego inquit, ^p *Epist. 225.*
 cundum multorum sensum, comparantium, ^{ad Albina.}
 semetipsum sibi et ipsis, non diuitias dimisisse,
 sed ad diuitias videor venisse. Vix enim vigesi-
 ma particula res mea paterna existimari po-
 test, in comparatione prædiorum Ecclesie, quæ
 nunc ut Dominus existimor possidere. Et ma-
 nifestius in libro contra Secundinum, vbi &
 calumniæ remedium adferre docet. ^q Sicut ^q *August.*
 inquit, sensum oculi tui sentire non possum, nec ^{conr. Se-}
 tu mei sed tantummodo nobis hac de re crede- ^{cundin.}
 re vel non credere possumus: illam verò speciem, ^{Manich.}
 que nostris oculis visibilis subiacet, inuicem no- ^{cap. 2.}
 bis valemus ostendere: sic de affectionibus ani-
 morum nostrorum, quas proprias habemus,
 credamus nobis, si placet: si autem non placet,
 non credamus. Nam ^r quod tu de animo meo ^r *Ibid. ca. 1.*
 verum non sentis, facile contemno. Hoc enim
 sentis, quod etsi in me non agnosco, fieri tamen
 potest, ut sit in homine. Ergo etiam si erras in
 me, non tamen ita erras, ut me de hominum nu-
 mero eximas: tua opinio: quia id de me credis,
 quod fieri potest in animo humano, etiam si non
 sit factum in animo meo. Nec igitur opus est, ut

tibi hanc suspicionem magnoperè coner auferre. Non enim spes tua pendet ex me, aut bonus esse non poteris, nisi ego fuero. Senti de Augustino quidquid libet. Sola me in oculis Dei conscientia non accuset. Quod enim ait Aposto-
1. Cor. 43. lus: ⁵ *Mihi minimum est ut à vobis iudicer, aut ab humano die. Ego autem vicem tibi non rependam, ut de tua mente aliquid existimare in malam partem audeam, quod intueri non valeo. Nec dico quod me subdole lacerare volueris: sed tantum de te opinor, quantum de te indicas verbis. Quamobrem et si non bona de me suspicatus sis, quod carnali timore alicuius incommoditatis, qua de vestra societate mihi accidere potuerit, haresin Manicheorum reliquerim, vel cupiditate honoris, quem in Catholica adipisci cogitem: tamen non de te vicissim malè sentiēs, credo esse beneuolam suspicionem tuam. Et hoc non criminandi causa, sed corrigendi studio dixisse te existimo. Si autem mihi accommodes credendi beneuolentiam, quoniam latebras animi mei arguis, quas utiq; promerere ad oculos tuos & demonstrare non possum, facile de ipso mutares sententiam, & nolles amplius temerè affirmare, quod nescis.*

Atque hoc ego Augustini ἀπολογία
 * III. Cap. plane meum quoq; faciēs, *Parce,* * ad tertiam
 lumina criminationem tuam progredior: ubi
 dispon- quod de honestate & humanitate erga liberos,
 tis. sanè dulcissimos mihi, totamque familiam
 abiecta

abiecta paratragœdias, speciosum quidem,
 sed parum firmum aut christianum est. Ad-
 eò enim *παρεμὴν* illā καὶ *εὐσχημονες αὐτὴν*
σοφὴν nihil abieci, vt etiam abiectam re-
 sumptis demum, & verè induerim, quē-
 admodum ipse cognosceres, *nisi magis in*
oculis cor haberes, quam in corde. Quæ enim
 maior honestas est, pietate & ordinaria
 charitate? quæ autem ordinaria charitas, ni-
 si quæ minora postponit maioribus, & ani-
 mam magis curat, quam fortunam? Non e-
 go in morte relinquere debebam filios,
 quibus per me vitam seculi huius dederat
 Dominus, & vitam, quod spero, dabit secu-
 li futuri. Quæ res etsi multo constat labore,
 non tamen à me trahi ad otium, nec à vobis
 debet ad inuidiam. Nullus hic humanis af-
 fectibus locus, nullus parentum amor,
 nullus amicorum studijs, nullus periculo-
 rum formidini, sed vnica diuini numinis re-
 uerentia, grata veritatis cultura, conueni-
 ensq; æternitatis metus totam suo arbitrio
 causam moderatur, nec vel minimum de
 suo iure remittit.

Sanè si quæris inficias ire non possum,
 vehementer hæc consilia mea varijs affe-
 ctibus quassata esse. Nunc enim tua *charis-*
sime Parens, septuagenaria canities succur-
 rebat: nunc matris vnice in me recumben-
 tis

August.
lib. 1. contr.
Epist. Par-
men. cap. 8.

tis fletus, nunc fratrum sororumque anxie-
 tas, nunc liberorum & familiae periculum,
 nunc amicorum totiusque familiae quasi la-
 bascens fama & existimatio. Sed quaeso vos
 per Deum, carissima capita, quid facerem?
 parcerem ne vobis, & mihi non parcerem?
 parerem ne voluntatibus vestris, & Deo im-
 morigerus essem? cauere ne pericula for-
 tunarum, & me cum liberis meis ac fami-
 lia in sempiternum exitium praecipitarem?
 Apagesis profana cura, noxia reuerentia:
 cum Deo mihi res est, ^v qui potestatem habet
 animam & corpus perdendi in gehennam. Hu-
 ic malo cum periculo & fame iactura serui-
 re, quam gloriosus detrudi in infernum,
^x ubi est fletus & stridor dentium perpetuus.
^v Pulchrum est periculum ad Deum transfu-
 gere. Neque hunc animum impietati mihi
 aut leuitati dabit, charissimi. CHRISTVS
 sic docuit discipulos. ^z Qui amat patrem
 aut matrem plus quam me, non est me dignus.
 MOSES sic docuit Iudaeos. ^z Qui dixerit pa-
 tri suo aut matri suae, nescio vos, & fratribus
 suis, ignoro illos, & nescierunt filios suos, hi cu-
 stodierunt eloquium tuum, & pactum tuum
 seruaerunt, iudicia tua o Iacob, & legem tu-
 am o Israel. CHRYSOSTOMVS sic docuit au-
 ditores. ^b In omnibus obtemperandum est pa-
 rentibus, praeterquam in iis, quae pietati effici-
 unt. Et doctrina Saluatoris, qui amat patrem,
 &c.

u Matth. 10
 28.

x Matth. 13
 42.

y Clem. 75
 in Protre-
 ptico.

z Matth. 10
 37.

a Deut. 33.
 9. 10.

b Homil. 36
 in Matth.

Et credentes filios maioris animi facit, Et patres remissiores ac leniores, ne ab amore CHRISTI liberos dimouerent, videntes tantas esse ipsius vires, ut facile possit a parentibus filios eripere. HIERONYMVS sic docuit Heliodorum. ^{e Epist. 1.} Licet parvulus ex collo pendeat nepos, licet passo crine & scissis vestibibus, ubera quibus te nutrierat mater, ostendat, licet in limine pater iaceat, per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis exola. Solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem.

Deniq; AVGVSTINVS sic docuit Latum, ^{d Epist. 38.} Qui amat animam suam, perdet eam in isto seculo, in vita aeterna inueniet: ita de parentibus rectissime dicitur, ut qui eos amat, perdat eos, non more parricidarum interficiens, sed spiritali gladio verbi DEI carnalem affectum eorum, quo Et seipfos, Et eos quos genuerunt, irritamentis huius seculi obligare conantur, pie fidenterque percutiens Et occidens, illud in eis viuere faciat, quo fratres sunt, quo cum filiis suis temporalibus, parentes aeternos DEVM Ecclesiamq; cognoscant. Ecce rapit te studium veritatis cognoscenda, atq; percipienda voluntatis Dei in scripturis sacris. Rapit Evangelicae praedicationis officium. Dat signum Dominus, ut vigilemus in castris, Et adificemus turrim de qua hostem sempiterna vita Et prospicere Et propellere valeamus. Rapit militem CHRISTI tuba caelestis ad praelium, Et retinet mater:
Non

e 2. Macca. 7 1. Non planetalis, ^e qualis Machabeorum fuit,
f Plusarch. in libell. de Lacedaemoniis matribus, de
Lacem. inst. quibus memoria traditum est, quod filios suos,
 ut pro terrena patria sanguinem funderent,
 multo amplius atque ardentius in certamina
 bellica, quam signorum sonitus excitabant.
 Nam mater qua te ad discendam vitam re-
 moueri à curis secularibus non permittit, satis
 ostendit, quemadmodum te, si opus esset, ad ob-
 eundam mortem penitus seculum repudiare
 permetteret. Sed quid dicit, aut quid allegat?
 Fortè decē illos menses, quibus viscera eius one-
 rasti, & dolores parturitionis, ac labores edu-
 cationis? Hoc hoc interfice verbo saluari,
 hoc perde matris, ut in vitam aeternam inueni-
 as eam. Hoc memento ut oderis in ea, si diligis
 eam, si tyro Christi es, si turris fundamenta posu-
 isti, *Luc. 14. 30* ne dicant transeuntes: Hic homo cepit edi-
 ficare & non potuit perficere. Carnalis enim
 affectus est iste, & adhuc veterem hominem
 sonat. Hunc carnalem affectum & in nobis &
 in nostris militia Christiana ut perimam^o hor-
 tatur, nec tamen ut ingratus sit quisquam pa-
 rentibus, & eadem ipsa beneficia quibus in vi-
 tam hanc editus, susceptus, atque nutritus est,
 enumerata derideat, seruet potius ubiq³ pie: a-
 tem. Habent hac locum, ubi maiora non vo-
 cāt. Mater Ecclesia, mater est matris tuae. Hac
 nos de Christo concepit, hac martyrum sangui-
 ne parturinit, hac in sempiternam lucem pepe-
 rit.

rit, hac fidei lacte nutrit, cibosque maiores
preparans, quod adhuc parvuli & sine denti-
bus vagire vultis, horrescit.

Iam de * vocatione mea non tam tædet * IV. Cæ
respondere, quam admiror, in hanc me (¶ *lumnæ*
aiunt) planiciem vocari. Quis enim scele- *depulsio.*
rarius vocationis suæ repagula perripit,
quam nefandi illi terræ filii, *Lutherus*, ex
ordine S. Augustini fugitivus: *Oecolampadius*
Brigittanæ familiæ desertor: *Martyr*
Dominicanæ religionis proditor; *Bucerus*
Apost. & Monachus, & contra fidem Deo
datam, contra Sacros Canones & Concilia,
contra communem deniq; omnium Chri-
stianorum sensum & consuetudinem bis
terq; sponsus & pater. Scilicet hi vocatio-
nis desertæ veniam habent, ego culpam: hi
præmium, ego opprobrium. Sed heus tu
Petre, heus *Paule*, heus Sancti Prophetæ &
Apostoli, quid vocationibus vestris fiebat,
cum^h relictis fratribus & cognatione ve- *h Gen. 12. 1.*
stra, relictisⁱ regum aulis & cubilibus: ^k re- *4.*
lictis teloniis quæ coëmeratis: ^l relictis reti- *Heb. 11. 8. 9.*
bus & sâgenis, quibus vitam sustentabatis: *Exod. 2. 18*
^m relictis synedriis atque inquisitionibus, *Heb. 11. 24*
quibus operam dabatis: ⁿ relictis curiis ac *25. 26. 29.*
tribunalibus, quorum honore fulgebatis: *Matth. 3.*
relictis deniq; omnibus, quæ humanæ vitæ *1. Matth. 4.*
decori aut præsidio esse poterant, & quæ *18. 19.*
vel fortunæ beneficio vel magistratus Im- *m Act 9. 7:*
perio *n Act. 17. 34.*

perio consecuti eratis: cum inquam his omnibus relictis orbi, nudi, sprete atq; exules vocantem Dominum in peregrinas terras, in nouam fidem, in nouam militiam ac professionem nouam alacres sequebaminus. Vtrum ea desertio probro vobis ac non potius laudi, imò magnæ non solum gloriæ, sed & centuplæ mercedis seges fuit? Ad promittente palam Christo: *o Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione; cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomē meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Quid ergo tu mihi nūc desertam impiam vocationem exprobras, cui huius & futuræ vitæ præmium à Deo præstitutū vides? Vtinam me sponse omnes *Heidelbergensium* Magistri & Professores, omnes ministri & Catechætæ hoc in uocationem suam facinus designarent, & ^P subtracto nūdinis loquacitatis ministerio lingua suæ, cum Apostolis & Martyribus, cum ¹ *Augustino* & ^r *Victorino*, cum clarissimis quibusq; totius Germaniæ & Galliæ viris ad Catholicam Ecclesiam transfugerent: maiores felicitati suæ cumulos nunquam forent adiecturi.

*o Matt. 19.
28. 29.*

*p August. 9.
confess. c. 2.*

*q Ibidem
cap. 6.
r Ibid. lib. 8.
cap. 2.*

* Sed

* Sed ab hoc loco me proximus vocat, ubi Hyperaspistes vocationi fidē & Ecclesiam substituit, quam ibi desertionis Calumniam præstruxit, hic exedificat, atq; singulari præterea illa coronide exornat, quod ego in *Caluini* secta natus & educatus, tãto maiori ab ea sacrilegio me subduxerim, quanto familiarioribus illi vinculis iam pridem fuerim astrictus. Quod ego telum si rursus cum *Brasida* è corpore meo (imò verò ab extimo tantum scuto, corpus enim nequaquam attigit) extrahere, atq; in hostium vicissim turmas eiaculari vellem, proh quantæ in *Lutherum, Melanctonem, Brentium, Illyricum, Sovenckfeldium, Zuinglium, Calvinum, Bucerum, Oecolampadium, Bullingerum, Martyrem, Simlerum, BeZam, Zanchium, Ursinum, Tossanum*, demq; omnes illos quinti Euangelii Apostolos, quorum nullus in ea, in qua natus atq; educatus fuit, religione constans persistit, sed omnes (proh dolor!) amore^t veritatis atq; antiquitatis abiecto, ^u ad insanas fabulas conuerterunt, stragis materiam habiturus essem? Sed vt quam familiarissimè me defendam, quæro ex vobis *Parentes*, quæro ex te *Parce* collegisq; tuis, quisquam ne vestrum in ea, quam à Parentibus Præceptoribusq; primitus hausit, religione nunc persistet? Abnuere non potestis, ple-

* V. *Calu*
mnia de-
pulsio.

/ *Plutarch.*
in *Lacon.*

12. *Theff. 2.*

10.

u 2 *Tim 4.*

4.

K roiq;

rosq; vestrum aut Catholicos, aut Lutheranos fuisse, ac media demum vel vltima aetate ad isthac deploratam *Caluini* scholam, tanquam è *Charybdi* ad *Scyllam* deflexisse. Quid ergo nunc mihi patriæ religionis desertæ crimè obuertitis, cuius ego vos triplo aut quadruplo cõdènare possũ? Nego me in ea persistere aut mori debuisse, nisi salutarem fuisse demonstraueritis. Nascimur oēs filij *ADAM*, nascuntur multi in Gentilismo, multi in Turcismo, aut Iudaismo, nec tamè in illo rectè persistunt statu, quia aliud est nasci in Ecclesia malignantium, aliud per communionem Catholicæ Ecclesiæ regnum intrare cœlorum. Meminerimus extra repagula nati per ostium intrare ouile, vt sit ^x grex vnus & pastor vnus, & qui persecutores erant cum *Saulo*, pastores defensoresq; cum *Paulo* euadant. Neque ignorare potestis, fœdè multos in adoleſcentia hallucinari, cū infirmis adhuc iudiciis, & nulla experientia aut literatura cultis, de re omnium grauissima constituunt, & ad quamcunque sunt Religionem, vel casu, vel necessitate delati, ad eam tanquam ad scopulum adherescunt. A quorum ego stultitia alienus, maturioris ætatis maturiora consilia sequutus, DEIQ; ductu melius & feliciter agnitam veritatem amplexatus, prioribus erroribus meis æternum vale nunciaui, meamq; anchoram

x Iohann. 10.
16.

choram in tutissimo Ecclesiæ Catholicæ portu fixi, iuante CHRISTO, suadente conscientia, trahente *Augustino*, aut quicumq; author est *Hypognosticôn*. *Si iactatus in-* Lib. 6.
 quit *curru inanium quaestionum cadis in fluctus vana contentionis, & veluti navis deserta gubernaculo, per diuersa & incognita littora volueris, nec prorsus ibi prosperè nauigare potes, reuertere, & sede in portu fidei Catholica, ubi te nulla possit fluctuosa cogitationis tempestas turbare & mergere.*

* Quod tam salutare consilium meum, * VII. CA
 quod leuiratis & Apostasias conuitio su- lumnia
 spectum mihi reddere conamini (carissi- depulsio.
 mi) frustra laboratis. Nec enim leuis aut A-
 postata erat ² *Abrahamus*, cum deserto ido- 2 Gen. 12. 8
 lorum cultu, cui à pueris assueuerat, veri A Tor. 7. 3.
 Dei cultui cum tota posteritate se manci- Iosua. 24. 2.
 pauit. Non leuis aut Apostata erat ^a *Petrus*, a Matth. 4.
^b totusque Sanctorum Apostolorum cho- 18. 19.
 rus, cū ^c in plenitudine temporis, quando ces- b Matth. 19
 sare vmbrae legis debebant, vocanti Domi- 27.
 no obsecuti, ^d *mysterium à seculo abscondi-* c Gal. 4. 4.
tum non solum amplexi sunt ipsi, sed & toti d Coloss. 1. 26
 orbi vulgauerunt. Non leuis aut Apostata
 erat ^e *Paulus*, cum Pharisaismo abiecto, cui e Act. 9. 1.
 totus ab ineunte ætate seruierat, Christi le- & seqq.
 ge, cuius antea *Vatiniano odio* flagraue-
 rat, suscepta, omnes animi sui affectus, mo-
 tus & studia in contrarium immutauit.

K 2 Non

f. Lib. 5. con
fess. ca 7 &
9. 6.

Non leuis aut Apostata erat ^f Augustinus, cum è Manichæorum stabulis in Ecclesia penetrabilia progressus, quos antea coluerat, omnibus animi viribus oppugnauit, & quos antea oppugnarat, omnibus animi viribus propugnare cœpit. Non leuis deniq; aut Apostata erat totus Christianus orbis, cum tuba Apostolica percussus, Saturnum, Iouem, Neptunum, Platonem, & similes Deastrorum pestes deseruit, Christoq; inaudito prius numini, Sanctæ fidei instructione præuia, totam sceptorum suorum potentiam subtrauit. Miseros igitur, ac terq; quaterq; inconsideratos, qui se errorum pertinacia diuos fore sperant! ⁸ Nunquam præstantibus in Repub. gubernanda viris laudata est in vna sententia perpetua permansio, sed ut in nauigando tempestati obsequi artis est, etiam si portum tenere nequeas, cum verò id possis mutata velificatione assequi, stultum est eum tenere cum periculo cursum, quem ceperis, potius quam eo commutato, quò velis tandem peruenire. Quanto igitur magis in Ecclesia, vbi animæ salutisq; negocium geritur, ^b qui non potuit primas habere prudentiæ, secundas debet habere modestiæ: ut qui non valet omnia impœnitenda credere, saltem pœniteat, quæ cognorit credenda non fuisse.

g Cic. lib. 1.
Epist. 9. ad
P. Lentul.

h Aug. prol.
Retract. &
Epist. 7. ad
Marcell.

*VIII. ca
lumnias
depulsio.

* Sed communicato me vobiscum consilio agere maluissetis (carissimi) neque ita clau-

clanculum profugere. Quid? Clanculum profugere? Ego verò clanculum profugi, qui publicis ferijs, publica rheda, via publica, aperta luce, ordine amicis consalutatis, cum honestissimis ac numero dignitateq; maximè conspicuis viris *Heidelberga Spiram* deuectus: inde (secus non licebat) proximis diebus, totam consilij mei rationem familiæ perscripsi: per familiam Magistratui significandam curavi? ¹ Non fugit, qui

Antigon. apud Plutarch in Antigon. paph.
 opportunitatem à tergo suam, persequitur.

² Theodorus Philosophus interrogatus quondam, cur Athenis profugus ad Lysimachum regem venisset? non profugi inquit, sed idem mihi accidit quod Herculi. Nam ut ille

Philol. Iud. in lib. Quod omni prob. liber.

ob peculiare quasdam virtutes ab Argonautis fuit expositus: sic ego propter magnanimitatem, quam Atheniensium rectores non valebāt assequi, vrbe sum exclusus. Sed esto, profugerim. Quid tum? Fecinè aliquid à more maiorum vestrorum alienum? Quid Martyr, quid Zanchius, quid Vergerius, quid Ochinius, quid alij vestrorum Prophetarum fecerint, vobisne ignotum est? Sed absit impiorum istorū exemplis me tuear. Ad ¹ Chri-

Matth. 12.

stum dilabor, ^m ad Iosephum & Mariam, ad

15.

ⁿ Paulum & Barnabam, ad plures denique

Ioan. 6. 15.

Matth. 2.

Martyres & Christianos alios, qui sine scrupulo persequentium furorem, de ciuitate in

13.

ciuitatem, vt à Domino præceptum intel-

Act. 17. 6.

Act. 9. 25.

o *Matth. 10*
23.

p. *A. lian. li.*
3. de *Var.*
hist.

Plutarch.
in Alcibia.

q. *Lib. 5. com.*
fest. cap. 7.

xerant, fugitarunt. ° *Cum persequentur inquit, vos in ciuitate ista, fugite in aliam. Amen dico vobis, non consummabitis ciuitates Israel, donec veniat filius hominis. Et vi^p Alcibiadem etiam huic choro inseram. Is cum ad causam caputis dicendam è Sicilia Athenas vocaretur, renuit, dixitq; stultum esse, pro fuga iudicium capessere, cum fugere possis. Et cum quidam diceret, an non credis te ipsum patria? Respondit, imò ne matri quidem crederem. Time-rem enim, ne fortè per imprudentiam aut errorem veritatis nigrum calculum pro candido submitteret. Idem de communicandis cum amicis, aut collegis, aut quondam præceptoribus consilijs responsum habete. Nam primum re adhuc integra, consului sanè multos, quos cautè & sine periculo potui. Consului Patres in antiquitate; consului fratres in suis aduersus *Bellarminum* disputationibus: consului *Daneum*, consului *Wittakerum*, consului *Iunium*, consului denique *Rainoldum* & *Sibrandum*, & quicumque isto tempore aduersus *Heroem* istum quicquam mutire ausus fuerat: quin & cum multis coram sententias contuli. Sed nusquam nil neque rationis neq; opis, neq; consilij: vt Idem mihi planè accideret, quod in *Fausto* sibi accidisse *Sanctus* profiteretur *Augustinus*. ¶ *Posteaquam* inquit, *ille* mihi imperitus earum artium, quibus eum excellere*

cellere putaueram, satis apparuit, desperare
 cepti posse eum mihi illa, quae me mouebant, a-
 perire atq; dissoluere, quorum quidem ignarus
 posset veritatem tenere pietatis, sed si Mani-
 cheus non esset. Deinde ad domesticos quod
 attinet, istam quærendi sollicitudinem non
 solum in me vehementer repressit grauissi-
 ma ista Tertulliani præscriptio. [¹ Nobis in- *r De Pra-*
 quit, etsi quærendum esset adhuc, & semper, *script. ca. 12*
 ubi tamen queri oporteret? Apud hereticos?
 Vbi omnia extranea & aduersaria nostræ ve-
 ritatis? Ad quos vetamur accedere. Quis ser- *1. Ioan. 3.*
 uis cibaria ab extraneo, ne dicam ab inimico *10. 11.*
 Domini sui sperat? Quis miles ab infœderatis,
 ne dicam ab hostibus regibus, donatum &
 stipendium captat, nisi planè desertor, & trās-
 fuga, & rebellis? Etiam ¹ anus illa intra rectum *1. Luc. 15. 8.*
 suum dragmam requirebat: Etiam ² pulsator *10. Luc. 11. 5.*
 ille vicini ianuam tundebat: Etiam ³ vidua *1. Luc. 18. 2.*
 illa non inimicum, licet durum iudicem inter-
 pellabat. Nemo inde strui potest, unde destrui-
 tur. Nemo ab eo illuminatur, à quo conte-
 nebratur. Queramus ergo in nostro, & à no-
 stris, & de nostro: Idq; duntaxat quod saluâ
 regula fidei potest in quæstionem deuenire.]
 Verum multò magis periculi euitandi ne-
 cessitas, vestræque (vt ita dicam) præ Inqui-
 sitorum Sacramentis innocentiae tuendæ
 prouidentia. Cum enim inscijs vobis tam
 scrupulosæ ac curiosæ purgationes imposi-

3^o *Matth. 13.*
74.

tae sint, quid conscijs futurum fuisse existimatis? Ego verò cum *Y regnum Dei* legissem thesaurum esse in agro absconditum, quem repertum homo abscondit, & pra gaudio quod habet super eo abit, & omnia quaecumq; habet, vendit, & mercatur agrum illum: & verò dies noctesque Catholicorum arua fodiens, hunc ibi thesaurum defossam, vel maiorum potius nostrorum calumnijs, tanquam grandi lapidum aceruo obrutum inuenirem, ut Stentorem agerem, aut garrulitate mea tantum bonum perderem prostitueremue, nihil erat. Quin quemadmodum *Augustinus* paria consilia agitans: *2^o consilium* inquit, nostrum erat coram te Domine, coram hominibus autem nisi nostris non erat: & conuenerat inter nos, ne passim cuiquam effunderetur, quanquam tu nobis à conualle plorationis ascendentes & cantantibus canticum graduum, dederas sagittas acutas, & carbones vastiores aduersus linguam subdolan, velut consulendo contradicentem, & sicut cibum asfolet, amando consumentem: ita & ego mihi, praesertim omnem publicae professionis fructum desperanti, lentè incedendum, prudenterque agendum duxi, ne consilio meo deiectus irrecuperabilem libertatis iacturam facerem.

* IX. *Calumniae refutatio.*

* Quid ergo nunc illud est, quod de dolore vobis facto, de iniusto dedecore, de con-

concitato in Ecclesia scandalo porrò am-
 pullatur Hyperaspistes vester? Dolorem
 excusabit necessitas: dedecus refutabit pie-
 tas: scandalum purgabit vtilitas conuersio-
 nis meæ. Quid enim? an dedecus vobis ad-
 mittere videtur, qui sanctæ illi fidei nomen
 dat, in qua omnis & huius & futuræ vitæ
 gloria, maiestas & honor requiescunt?
 Non (credite mihi) nō viuunt in dedecore
 Sanctissimi Pontifices, non inuidtissimi Im-
 peratores, non Serenissimi Reges ac Prin-
 cipes Non vixerunt maiores nostri, nō aui,
 proau, abau, attau &c. quorum nomini-
 bus gaudemus, quorum factis superbimus,
 quorum gloria clarescimus. Non Sancti A-
 postoli, non Euangelistæ nec Martyres, nec
 Confessores: qui quanto hic maculatiores
^a *stulta prædicationis* officio ab impiis habiti *a 1. Cor. 1. 22*
 sunt, tanto maiori nunc in cœlis splendore
 refulgent, cumque ipsorum claritate syde-
 rum concertant. Beatum igitur vestrum de-
 decus, ô parentes, beatam maculam, si vos
 spinæ rosam, vos vrticæ liliū generare po-
 tuistis! Nec minus beatum me, si quod er-
 rori vestro offendiculum statuere potui, vt
 qui antea pleno cursu in *Caluini* retia pro-
 ruebant, nunc meo non nihil exemplo ab-
 sterriti, pedem sistant, atq; hanc regiam or-
 bis Christiani viam cogitare incipiant. O
 quis dies mihi videre dabit, vos ^b *omnes esse* *b 1. Cor 7. 7*

K 5 sicut

sicut ego sum! non cauda mutilos, ut vos ex
Aesopo luditis, sed fide integros, & veritate
 fortes, & constantia firmos: amplectentes
 videlicet hanc unam, sanctam, Catholicam
 & Apostolicam Ecclesiam, extra quam qui
 vitam finit, non magis saluari potest, quam
 qui olim ^e diluuii tempore extra *Noë* arcam
 vel in montibus, vel in arborum cacumini-
 bus refugium quæsierunt. Attamen dolor
 vobis iniectus adhuc dolet. ô tenelli! nonne
 d *regnum Dei patitur vim?* nonne & *Ioseph*
 & *Maria* dolentes quærebant *Christum*?
 e *Luc. 2. 49* At ille ^e *Quid est* (inquit) *quod quærebatis*
me? Nesciebatis quia in his me oportet esse, quæ
patris mei sunt? Iam Sancta illa *Monica*
 quam acriter filium clanculum *Romam* na-
 uigantem, luxit & planxit? Accipite verbis
 f *Augustini*, mihiq; ignoscite. ^f *Egisti* inquit
mecum, ut mihi persuaderetur Romam perge-
re, & potius ibi docere, quod docebam Car-
thagine. Sed quare hinc abirem, & illuc irem,
tu sciebas Deus, nec indicabas mihi nec matri,
quæ me profectum atrociter planxit, & usque
ad mare secuta est. Sed fefelli eam violenter
me tenentem, ut aut renocaret, aut mecum
pergeret, & sinxi me amicum nolle deserere,
donec vento facto nauigaret. Et tamen recu-
santi sine me redire, vix persuasi, ut in loco,
qui proximus nostræ navi erat memoria beati
Cypriani, maneret ea nocte. Sed ea nocte clanculo

e *Genes. 7.*
 e *8.*

d *Matth. 21.*
 11.

e *Luc. 2. 49*

f *Lib. 5. con-*
 fess. cap. 8.

culo ego profectus sum, illa autem remansit orando & flendo. Et quid a te petebat Deus meus tantis lachrymis, nisi ut navigare me non sinneres? Sed tu alte consulēs, & exaudiens cardinem desiderii eius, non curasti quod tunc petebat, ut in me faceres quod semper petebat. Flavit ventus & implevit vela nostra, & lucus subtraxit aspectibus nostris. In quo mane illa insaniebat dolore & querelis, ac gemitu implebat aures tuas contemnentis ista, cum & me cupiditatibus meis raperes, ad finiendas ipsas cupiditates, & illius carnale desiderium iusto dolorum flagello vapulareret. Amabat enim secum presentiam meam more matrum, sed multis multo amplius, & nesciebat quid tu illi gaudiorum facturum esses de absentia mea. Nesciebat, ideo flebat & eiulabat &c.

* Ecce quam iustis vndiquaq; præfidiis & firmamētis tota mea causa suffulta sit. Et tamen ille cupiditatis æstu plenus, reatum adhuc apud Deum, infamiam apud bonos minitari audet. O felicem reatum! O gloriosam infamiam meam! Si tu *Paree* præstantissima merita tua cum infami huiusmodi reatu permutare posses, næ tu profectò perquam beatus & gloriosus fores. Sed de reatu video ego. De infamia viderint illi, in quos hæc Imperatoris lex scripta est. *Receptatores, defensores & fautores hæreticorum damnamus, firmiter statuentes, ut postquam*

* X. *Ca-*
lumnia
depulsio.

g. Authenti-
credentes e-
de hæret. &
Manich.

quam quilibet talium fuerit excommunicati-
one notatus, satisfacere contempserit intra an-
num ex tunc IPSO IVRE SIT INFAMIS,
nec ad publica officia seu consilia, vel ad eligen-
dam aliquos adhibeatur, neq; ad testimonium
admittatur. Sit etiam intestabilis, ut nec te-
standi liberam habeat facultatem, nec ad he-
reditatis successionem accedat. Nullus preter-
ea ei super quocunq; negotio, sed ipse aliis re-
spondere cogatur. Quod si forte iudex extito-
rit, eius sententia nullam obtineat firmitatem,
nec causa aliqua ad eius audientiam perferan-
tur. Si vero fuerit advocatus, eius patrocinium
nullatenus admittatur. Si tabellio instrumen-
ta per ipsum confecta, nullius penitus momenti
censeantur.

to August.
Epist. 237.
ad Gal.

Quamobrem CHARISSIMI (vteodem
principio & sine claudam epistolam me-
am) quid est quod tam tragicas passim ad-
uersum me querelas excitatis? qd est quod
tam implacabili in conuersionem meami-
ra ferimini? Videtis Catholicum me esse o-
portuisse, si saluus esse voluerim. Videtis &
vos esse oportere, si salui esse velitis. ^h Quã
in concussis enim documentorum firmamentis
omnis Caluini vestri, aut Bezæ, aut Ursini,
aut quorumuis nouatorum vanitas conuin-
catur, non magnum est etiam tardis ingenio, si
tantum patienter aut intente audierint, perui-
dere. Sed ad sectandam insolitam rectitudi-
nem

nem usitate & quasi familiaris peruersitatis
 vinculum abrumperet, maiorum virum est.
 Quare expergiscimini per Deum, expergi-
 scimini, eicite ex aminis vestris tumultuo-
 sa illa præindiciorum rudera, pacato cor-
 de, sedata bile, iusta lance, defensionis meæ
 pondera trutinare: ipsius Catholicæ fidei
 lectis propugnatoribus; meum in timore
 Domini exemplum sequimini, vosq; è fœ-
 distima dispersione ad maternum Ecclesiæ
 sinum aggregate: spectate lucentem toto
 orbe manifestissimæ veritatis solem, da-
 mnate tenebras, eligite lucē, ¹ ut filii lucis sicut *Johann. 12.*
 et *subdite 36.*
 Christo, qui iudex futurus orbis, beatitudi-
 ne sempiterna afficiet Ecclesiam, hereticos
 autem, Schismaticos, & reprobos omnes æ-
 ternis suppliciis mactabit. Nec putate vos
 ratiunculis vestris, aut *σπρισματις* con-
 sultorum Hyperaspistarumque vestrorum
λόγοις contra hæc tam clara & manifesta
 saluos fore. Folia ficulnea sunt: & ^k foris *inf.* *et d. gult.*
flantes in puluerem, excitabitis terram in ocu- *12. cont. ff.*
los vestros, iudiciumq; vobis grauius accer- *cap. 16.*
 setis: Tanto quidem grauius, quanto à me
 fidelius estis moniti. Sermo enim hic quem
 de munere Dei, nouit ipse quanta & pacis &
 vestri dilectione, deprompsi, testis erit, si
 nolitis, correctio verò si velitis. Mogunt. 8.
 Idus Septemb. M.DCI.

EPISTOLA XV.

SANCTISSIMO IN CHRISTO
Patri & D. N. CLEMENTI VIII. Pon-
tifici Maximo

IVSTVS BARONIVS VETE-
racastrensis.

AD III. Calend. Sextileis, cum duobus
ante mensibus *Moguntiam* venissem,
magna in ærumna mea redditæ mihi sunt
alteræ S^{ti} T^æ litteræ, paterna mei ad *Illu-
strissimum Electorem Moguntinum* commé-
datione stipatæ. Quas propterea tanta ani-
mi exultatione perlegi, vt quasi in medio
naufraugio scapham attingere, tutoq; vitæ
portui appellii viderer. Rem marmori in-
sculpsi sempiternæ memoriæ: nec danti-
quicquã gratius à me rependi posse puto, quàm
si gratum habuero, quod gratis accepi. Spiritui
enim gratiæ contumeliam facit, qui beneficium
dantis grata mente non suscipit: Vt *Imerico
Cancellario Magnus ille Bernhardus* quon-
dam rescripsit. Verum nē solis agendis gra-
tiji contentus, omnem beneficentiæ fru-
ctum ludere videar, En hunc primitiarum
fasciculum ad pedes S^{ti} T^æ depono: id est
breuem modestamque (qualis spiritum
Christi decet) pro mea ad *Sacrosanctam Ca-
tholicam Romanam Ecclesiam* transmigrati-

one

one Apologiam, nomini Illustrissimi Nepo-
 ristui, D. CINTHII ALDOBRANDINI, &c.
 consecratam: quam hoc ipso quoque no-
 mine S^{ti} T^{ri} velut domus ALDOBRANDINÆ
 fausto *Ailanti* gratiorem fore speravi. Ma-
 iora atque elaboratiora ingenio vires o-
 pera nunc non tulerunt. Proximæ tamen
 Nundinæ *σὺν* *θεῷ* propositum nostrum v-
 berius confirmabunt, nec vlla corrigendi
 erroris vsquā oblata à me peribit occasio,
 quin totis viribus hominum saluti incum-
 bam, tenebrisque occæcatis non exemplo
 solum meo, verum & studio & conatu ad
 Catholicæ veritatis lumen perducere an-
 nitur. Sed est à fortuna grande huic succes-
 sui obiectum obstaculum, cui amoliendo, si
 qui possunt, seriam nauabunt operam, bre-
 ui integras conuersorum messes faciemus,
 quod ex eorum numero æstimo, qui mihi
 hæctenus ex *Palatinatu* cæterisque vicinis
 Prouincijs præcipui viri ac duces gregum
 adfuerunt.

Fructum Apostolicæ commendationis
 ab *Illustrissimo Archiepiscopo* nostro expecta-
 mus. Locus in Curia, quem sciam, nunc va-
 cuus nullus. Interim expectationem opti-
 mus Princeps necessario subsidio fulcit,
 meque benigne habet. De nominis muta-
 tione etsi gaudeam mihi liberum relictum,
 causæ tamen subsunt, quam obrem meo in
 urbem

urbem aduentui (nam ea adhuc spes superest) referuandam arbitrer. Res obuia calumnijs, & nisi certo autore fiat, maioris apud Parentes opprobrij, quod si non effugere profus, declinare saltem aliquantulum licebit. De valetudine primum febris *Augustana* in Colicam abiit: deinde medici diligentia, quæ certè Deus hic industrium peritumque dedit, sensim sublata, necessarijs iterum vitæ munijs me præesse finit. Immortales Deo gratiæ, qui durum cervicibus meis flagellum clementer abstulit: Immortales etiam gratiæ tibi, SANC^{MC} PONTIFEX, cuius paterna commiseratio, atque Apostolica benedictio, non minoris quam prisca illæ Patriarchales censenda, non dubito quin vel maximum sanitati meæ robur attulerit. * *Benedictus Dominus Deus noster, qui voluit te ordinare super thronum suum, Pontificem Ecclesiæ suæ: Beati viri tui, & beati serui tui, qui assistunt coram te omni tempore, & audiunt sapientiam tuam. Vicisti famam virtutibus tuis. Diligit Deus Israel, & vult seruare eum in aeternum. Idcirco posuit te super eum, Pastorem, ut faceres iudicia atq; iustitiam.* Mogunt. Calend. Octob. M. DCI.

* 2. Par.
9. 7. 8.

EPISTOLA XVI.

ILL^{mo} ET REV^{mo} D. CÆSARI BARONIO Sorano S. R. E. Cardinali

IVSTVS BARONIVS VETERACASIRENSIS S.

ETSI publica gratiarum actione tua incredibilia erga me merita celebrare constitueram, CARDINALIS ILL^{me}: tamen quia multis ex causis longum fiebat, avertendum putavi, ne immemor paterni tui in me affectus viderer. Primum igitur quod meam ab itinere Romano reiecti causam tam fideliter apud Pontificem Max. egisti, quod meum in Germania luctum meroremque literis quam humanissimis consolatus es, quod constantem denique fidem & patrocinium tuum deinceps rebus meis clementissimè addixisti: scito id totum me eo loco habere, quo beneficia longè maxima atque omni laudatoris cothurno superiora haberi debēt. Sed quia multum insuper beneficiorum istorum pondus auget, quotidiana diuinissimorum ANNALIUM tuorum lectio, (quos quotiescunque inspicio, inspicio autē creberrime, præcepsum in hymnum illum Seueri M. leuitani feror.

*o verè artificiosa apis Dei, construens favos a Apud S.
diuini nectaris plenos, manantes misericordi- August. Ep.
L am pist. 37.*

am & veritatem, per quos discurrens delicia-
tur anima mea, & vitali pastu quicquid in se-
minus inuenit, aut imbecillum sentit, resarcire
& suffulcire molitur:) Scito eam esse vicif-
sim animi mei πρὸς χάριν πόσιν, vt si ali-
quam tuorum meritorum partem videat
afsecuturus, non solum me totum, quantus
quantus sum, tuæ vnus voluntati libenter
consecraturus, sed & ipsâ vitâ tuę vitæ lita-
turus sim. Sed non vis sanguinem scio: fi-
dem, pietatem, constantiam vis. Quæ ipsa
vt tibi de me testatiora sint, en accipe hunc
primitiarum Catholicarum fasciculum, vel
primæ potius messis manipulum, APOLO-
GETICAM meæ ad Romanâ Ecclesiam trans-
migrationis defensionem, nomini quidem
tuo (ratio non ferebat) non dicatam, sed ex
voto tamen tuo (spero) scriptam. Quam v-
bi legeris, & calculo tuo comprobaris, ma-
gnam me laboris mei fructum percepisse
putabo. Sin improbabis, meq; ad hanc mi-
litiam sacram iudicabis imbecilliorē, quæ-
so per Deum tempestiuè mone, reuocaquē
à carceribus properantem, ne longius in
campum progressus, sistendi postea cursus
locum nullum inueniam. Nam de studijs
quidem meis ipse certum adhuc capere
consilium nō potui, alijs me causis ad Theo-
logiam, alijs ad Iurisprudentiam vocantibus.
Qua ipsa in deliberatione me tuo vel ma-
ximè

ximè ductu gubernari obsecro. *Theologia* paulò magis insueui : sed clericis potissimū ex hac professione vitā pendere in Ecclesia sentio. De lure iam aliquo vsque vltra humilia etiam subsellia progressus sum. Sed sunt quæ morentur, sunt quæ absterreant, non ipsa solum tanti pelagi immensitas, verum & tribunalibus ab imperitis aut cupidis iniustitiæ aspersa macula, quam nescio quomodo etiam contrahunt, qui se intimos iustitiæ alumnos profitentur.

De cæteris rebus meis heu quam variā mihi hæctenus fortuna ! Ex vna parte vexauit turbo malignissimæ famæ, ac turpissimorum conuitorum, quibus nomen meum lacerare haud cessarunt etiam ij, qui vel maximè eius patroni esse debuissent. Ex altera insurrexit fluctus grauissimarum offensionum, irarum atque execrationum, parentum scilicet & amicorum, qui haud secus ac parricidij reum teterrimis huc vsq; supplicijs me destinare pergunt. Ex altera denique perculit fulgur magistratus ac tonitrua tribunorum *Prædicantium*: quorum ille quæ in vxorem, liberos, & suppellectilem librariam perpetrarit, aliàs scribam: hi verò singulis in me concionibus non mitius, quàm in *Verrem* aliquem aut *Catilinam*, aut vt propius sacris nostris efferam, in *Porphyrium* aut *Iulianum* debacchati sunt.

L 2. Sed

6 Luc. 23.

34

Sed hic à patientia præsidium meum duxi, deflexisque oculis ad eum, qui grauiora à suis contribulibus passus, ^b *Dimitte* (inquit) *illis, pater: non enim sciunt quid faciant: eodem me clypeo tutatus sum.* Neque effecerunt tamen omni conatu suo, quin aliqui pietatis ardore correpti, inter ipsas adhuc perstreptentium spumas Catholicam fidem meditari inceperint: quorum anteambulationem se præbuit honestus adolescens IACOBVS NIGRINVS, qui cum abiurata hæresi, Sacramentorumq; sæpius frequentata religione commodum hic locum non inueniret, nostro in primis suasu & hortatu *Romam* iter capessijt, tuaque in primis humanitate AMPLISSIME CARDINALIS præsens sibi spopõdit subsidiũ. Quæ ne eum spes fallat, etiam atque etiam oro. Sunt hæc præludia maioris vbertatis, nec deerunt viri præclarissimi, qui si *Thesaurum* aliquem nacti fuerint, breui spero eandem viam ingrediantur. Quibus aded studia mea haud defutura sunt, vt quicquid in me est opis, aut diligentia, aut industria, id totum libenter salutis eorum cum capitis etiam discrimine deuoturus sim. Patroni hic erga me partes cumulatè exequitur Illustris D. IOHAN. SCHVICARDVS à CRONBERG, *Cathedralis Ecclesie Moguntinae Decanus*: qui ad me vndiquaque ornandum & tutandum promptus,

ptus, vnica Sedis Apostolicæ commendati-
one videtur futurus longè promptior. Hæc
igitur mihi gratiam vbi clementer imparti-
emini, & cumulum vestrorum erga me be-
neficiorum pleniorum, & fructum meo-
rum hic emolumentorum longè reddetis
auctiorem. Vale ILL^{me}D^{nc}Mogunt. Calen.
Octob. M. DCI.

EPISTOLA XVII.

ILL^{mo} ET REV^{mo} D. CINTHIO
Aldobrandino, S. R. E.
Cardinali.

*IUSTVS BARONIVS VETE-
racastrensis S.*

ERAM equidem iam antea satis in studiū
admiracionemque tui incitatus, ILL^{me}
ET REV^{me} CARDINALIS, cum priori-
bus literis tuis ostendisses, quanti causam
meam faceres, quantumq; eam promotam
cuperes. Posteaquam verò nunc etiam po-
sterioribus cognoui, nec culpam silentii
mei grauissimam, errore magis quam stu-
dio aut negligentia admissam, ab hoc te a-
nimo dimouere potuisse: tanta facta est ad
pristinum meum erga te studium accessio,
quantam verbis explicare non possum. Edi-
turus itaq; re ipsa qualem cūq; grati animi
significationem, mitto consecratas amplif-
simo

simq nomini tuo Catholicorum meorum
 fructuum primitias: id est *Pro mea ad Sacro-
 sanctam Apostolicam Romanam Ecclesiam
 transmigratione APOLOGIAM*. Quam quid
 scribere, quid edere, quid tibi in primis di-
 care ac consecrare impulerit, quia isthinc
 fronte satis præfatus sum, nihil nunc repe-
 to. Vnum id restat, conatum vt meum be-
 nigne probes, vileque literarium munu-
 sculum μετ' εὐνοίας καὶ μεγάλης συγγνώ-
 μης accipias, reputans id animo, *decumana
 maxima*, prima omnium minima esse *oua*
 consueuille. Cæterarum mearum rerum
 statum CARDINALI BARONIO perscripsi,
 afflictum scilicet illum, & quotidianis ca-
 lamitatibus afflictiozem. Morbo expedi-
 tum furia nunc infestant calumniarum,
 furia inimicitiarum, furia rapinarum, vt
 maximo jure meum illud psaltis facere pos-
 sim. ^a Domine duxisti super me omnes fluctus
 tuos, longe fecisti notos a me, posuerunt me abo-
 minationem sibi. Traditus sum & non egredi-
 ebar: oculi mei languerunt præ inopia: circum-
 dedunt me sicut aqua tota die, circumdede-
 runt me simul. Elongasti a me amicum ac pro-
 ximum, & notos a me serua. Sed quid ad me
 frendens diaboli insania?

^a Psal. 87. 8.
 9. 18. 19.

^b Horat. l. 6.
 3. Carm. O-
 de. 3.

^b IUSTVM & tenacem propositi virum,
 Non civium ardor prava iubentium,

Non

*Non vultus instantis Tyranni
 Mente quatit solida, neq; Auster
 Dux inquieti turbidus Adria
 Nec fulminantis magna manus Iouis;
 Si fractus illabatur orbis
 Impavidum ferient ruine.*

Atque hanc mentis meæ constantiam, quo mystæ mendaciorum liquidius perspiciant, omni opere annitor, verbo, gestu, vultu. Nec cesso vndiq; peritiorum animos lacerare, legendarum controersiarum laborem ne subterfugiant, ac *μορμολύκεια* illa falsissimorum de nobis præiudiciorum eliminant, quibus sublatis haud dubito, mirificos eos in veritate progressus facturos. Neq; aliud est, quod magis homines ab orthodoxa fide absterreat, quàm inania illa terriculamenta, & monstrosa de plerisque doctrinæ nostræ capitibus ab hæreticis excogitata figmenta: quibus quandiu miseri tanquam *capitibus Gorgoneis* defixi hærent, obrigescunt, & vespertilionum instar ad plenam lucem cæcutiunt. Cui vulnere sanando, vrendo, leniendo vt ego per dius pernoxq; cum cæteris hic instabo: ita vos queso istic Excellentissimi Principes ad clauum Ecclesiæ sedentes, iuuate votis, fauete animis & linguis, & quæ minus ex animo vestro videbuntur facta, libera virgula emendate, ne non tam nostra in obediendo

voluntas, quàm vestra in præcipiendo successibus publicis autoritas defuisse videatur. Vale. Mogunt. 3. Non. Octob. MDCL.

EPISTOLA XVIII.

ILL^{mo} ET REV^{mo} D. ROBERTO
Bellarmino S.R.E. Cardinali, Archi-
episcopo Capuano

IVSTVS BARONIVS VETERA-
castrensis.

POSTEA QUAM Iure ciuitatis Dei donatus sum, ILL^{me} ET REV^{me} D^{ne} nil maiori cura an nitendum putavi, quàm vt pomœria eius quaqua possem, dilatarem, hostesq; ipsius festino cursu ad interitum properantes, ab execrabili insania reuocarem. Quamobrem cum ipsa experiëntia nossem, inter CALVINIANÆ hæreseos sustentacula duo insigniora esse, quibus plerique omnes siue in *Germania*, siue in *Belgio* suos concipiant, foueant, protegant, & ad posteritatem propagent errores: *Iohannis Calvinii Institutionem*, & *Zicharia Ursini Explicationes Catecheticas*: Cogitare iam dudum cœpi, quomodo ista fulcra incidi, & ad perfidiæ defensionem inutilia reddi possint. Cogitationem isthanc auxit negotij perficiendi facilitas. Cum enim à doctissimis viris ita nunc instructa sit Catholica Ecclesia, vt

non

non vnos tantum *Calvinos* aut *Vrsinos*, sed
 integras bestiarum huiusmodi turmas pro-
 sternere, ac si connittantur, ad internecio-
 nē delere queant, quid laboris restet in duo-
 bus, summis quidem illis, sed tamen hære-
 tici Deiq; armatura inferiorib⁹, & ad omnē
 ictum nudis? Sed quia multum interest, quo
 quidque modo, quo duce & auspice gera-
 tur, deliberandum censui, cui potissimum
 hæ partes demandarentur. Ac de *Vrsino*
 quidem res expedita est, si vel nostratum
 aliquis cum eo in arenam descēdat. De *Cal-*
uino autem grauior labor, cui cum sollicitē
 mecum cogito, quem potissimum Anta-
 gonistam optem, te vnum inuenio ILL^{me}
 D^{ne} omnium aptissimum: cuius laus & fa-
 ma toto orbe percrebrescens, apud ipsos
 quoque hæreticos tantam existimationem
 dignitatemq; consecuta est, vt vel sola no-
 minis tui illecebra ad emendum legēdum-
 que incitari soleant. Quamobrem si à gra-
 uissimis occupationibus tuis tantum sub-
 cesiui temporis decerpere licebit, persua-
 deas tibi velim, nullum excellentius, nul-
 lum fructuosius, magisque Christianæ Rei-
 pub. necessarium à te opus elucubrari pos-
 se. Erit nempe hæc felix *Disputationum tua-*
rum coronis, quosque illis tanquam arieti-
 bus conuulsi, hoc quasi *Herculeo* telo ob-
 truncabis, ne vlla repullulascere vsquam

* *Hydra* possit. * *Macte* virtute diuine vit, in
 orbe celebraris: Catholici te conditorem anti-
 quæ rursus fidei venerantur atq; suspiciunt,
 Et quod maioris gloriæ est, omnes hæretici dete-
 stantur; meq; pari persequuntur odio, qui con-
 tra flantes ventos ardore fidei perstiti, maluiq;
 quantum Dominus gratiæ dedit, solus libe-
 rari de Sodomis, quam cum pereuntibus com-
 morari. Mogunt. Nonis Octob. M.DCI.

* *Hæron. a-*
pucl S. Au-
gust. Epist.
 25. Et apud
opsumit
Hæron. E-
pist 80 ad
August.

EPISTOLA XIX.

CÆSAR BARONIVS SORA-
 nus S. R. E. Cardina-
 lis

IVSTO BARONIO VETERA-
 castrensi S.

Illustris Domine.

SVAVISSIMAS literas tuas accepi, quæ mi-
 hi partim summam iucunditatem, par-
 tim summum dolorem attulerunt; tū quod
 perpetuam tuam constantiam, quam in re-
 bus aduersis demonstras, indicabant; tum
 quod ita te animatum esse significant, cu-
 pere te omnes tuas exercitationes & studia
 ad meam sententiam dirigere. Quod itaq;
 ad primum attinet, benè facis, quod existi-
 mes, nihil tam graue tamque molestum e-
 uenire posse, quod à bona mente te possit
 aut debeat auocare. Quod vero ad studium
 genus amplectendum spectat, credo in
 Theo-

Theologia te posse optimam operam collocare, vt fidem Catholicam, quam verè suscepisti, scriptis etiam, vt incepisti, comprobas. Litteras quas ad ILL^{cm} D. *De anum* petis, vnà mitto, teque ad proximum ver *Roma* videre desidero. Vale. Ex Vrbe. 12. Calend Nouemb. M. DCI.

EPISTOLA XX.

CLEMENS PAPA VIII.

DILECTO FILIO IUSTO BARONIO Veteracastrensi.

Dilecte Fili, Salutem & Apostolicam benedictionem.

LITTERAS tuas, & *Apolo-*
logiam de tuo ad gremi-
um Catholicæ Eccle-
siæ reditu, quas ad nos
mitti, libenti animo accepimus,
gratumque est nobis, quod præclara
erga te diuinæ misericordiæ benefi-
cia, & piè agnoscis, & magnificè
prædicas, & ad eandem veritatis lu-
cem, quam Spiritu Sancto auctore
inuenisti, alios adhuc tenebris in-
uolutos perducere studes. Non erit,
vt

vt speramus, infructuosus labor tuus, Deo ipso sementi tuæ incrementum dante. Tuum tibi certe meritum apud patrem misericordiarum constabit, ac saluum erit. Quod Venerabilis frater noster *Archiepiscopus, & Princeps Elector Moguntinus*, & nostra commendatione, & tua virtute adductus, benigne, vt scribis, tecum agat, teq; foueat, id nobis pergratum est, nostræque expectationi consentaneum: ad quem alteras nunc quoq; tui causa commendatitias litteras damus, vt te tanto propensius complectatur. Quin etiam & *Decano* illius insignis Capituli te commendamus, vt plura tibi præsidia paremus. Tu verò si *Romam* venire statueris, gratus nobis aduenies, teq; & libenter in primis videbimus, & tibi adiumento erimus. Amamus enim te in Christo paterno affectu. Ipse autem, qui te *vocauit in admirabile lumen suum*, dona sua in te custodiat, atq; adaugeat, & nos tibi

*1. Pet. 2.
9.

bi Apostolicam benedictionem nostram ex animo impartimur. Datum *Rome*, apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XII. Decemb. MDCL. Pontificatus Nostri Anno Decimo.

Silvius Antonian. Card.

EPISTOLA XXI.

CINTHIVS ALDOBRANDI-
nus S. R. E. Cardina-
lis

IUSTO BARONIO VETERA-
castrensi S.

Magnifice & Ornatissime Domine.

ACCÉPI quidem litteras tuas 3. Non. Octobris datas, nec dum tamen *Apologiam* mihi, ut scribis, dicatam. Nescio quid moræ in itinere ei obiectum narrat egregius Dominus *Iosephus VVindentius*, cui ut video res tuæ non mediocri curæ. Exosculor interim toto animi affectu istas, absentes licet, Catholicorum tuorum fructuum, ut vocas primitias. Quæ utinã iis profint maximè, quibus hunc potissimum desudasti laborem. Certè nõ dubitò quin magnopere probentur, quibuscunque inerit aliquis pietatis ac bonæ mentis sensus. Nolui autem

tem

remagendarum tibi gratiarum officium di-
 utius debere. Hoc igitur persoluo & qui-
 dem ex animo, sed ita tamen, vt me nihilo-
 minus in ære tuo semper esse agnoscam lû-
 bens ac profitear. Omnino messis isthic v-
 berrima, vt testantur eadem litteræ tuæ. In
 tanta autem operariorum paucitate planè
 confidimus fore, vt præcipuè virtus tua &
 industria eniteat. Aderit Deus in Vineâ sua
 fideliter laboranti, cui etiam paratum *San-
 ctissimi Pontificis* patrociniû, vt plenius ex
Brevi Apostolico, quod cum hisce litteris e-
 rit, accipies. Vale feliciter, illataq; tibi pie-
 pietatis causâ iniurias, quibus equidem in-
 gemisco, forti ac vere Christiano pectore
 perferre insiste, hoc subinde reputans, *
*non esse condignas huius seculi passiones ad fu-
 turam gloriam*, quam tibi auguro & opto.
 Romæ die 22. Decemb. MDCI.

* Rom. 8.
 18.

EPISTOLA XXII.

NICOLAUS SERARIUS SO-
 cietar. Iesu Presbyter

DANIELI TOSSANO ACAD.
 Heidelb. Professori S.

MIRABERE fortassis, Doctiss^m D. Tos-
 sane, quid ignotusego ad te, ad Cal-
 uinianum Catholicus, ad Superintenden-
 tem Societatis Iesu Homo. Sanè scribendi
 causa mihi nulla esset, nisi perpelleres. Atq;
 id pau-

id paucis exponam, non ut vlllo tecum modo litigem (vetat^a Ecclesiasticus, & paulò ^a Cap. 8. 4. suavius Apostolus cum ait. ^b *Servum Domini non oportet litigare.*) Sed ut de te apud te, ^b 2. Tim. 2. 24. dolens licet ac inuitus querat: neque, ut apud ^c S. Hieronymum quidam, *me quod nemo nouit, audisse aut uidisse fingam*, sed ut ^c Princip. aduer. Ruf. Paulus meus, ^d *qua scribo, ecce coram Deo, quia non mentior.* ^d Gal. 1. 20. Audieram non ita pridem meas quasdam, cum aliorum quorundam literis apud vos interceptas, & cū alio proficisci deberent, retentas. Sed quia id neq; mihi certum, neq; à quo, aut quam ob causam factum esset, indicatum erat, contempsimusculum. Præsertim, quia mihi eram probè conscius, neque in alijs, neq; in illis à me quidquam positò, quod vel Momos & vitiligatores vlllos meritò irritaret. Deinde quia si ab eo, cui publicæ aliquid autoritatis esset; retentæ illæ fuissent, ego negry quidem aut my contra. Sed quiritari si quid vellem, apud Deum meum potius, quam apud homines, expostularem. At superiore hebdomade, cum è *R^{di} & Nobilis Domini Metropolitanae huius Ecclesie Præpositi* domo, ad amicum quendam officij negotijque alicuius causâ iuissem, monstrauit is mihi, quæ *Heidelberga* venerat, Epistolâ, in qua scriptum erat, *D. Tossanus, & D. Gernandum* illas, de quibus ago, literas

ras accepisse. Mirari ego, Theologum & Heidelbergensium Theologorum Principem, Veteranum verbi ministrum, & Superintendentem, quod suum non esset, ita palam accipere, neque suo cum posset, Domino redhibere. Attamen aliud nihil tum constitui, sola tui miratione miserationeq; contentus. Nudius autem quart^o, cum iam ex animo iniuriam illam delessem, ecce tibi ex *Aschaffenburgensi* Reu^{mi} & Ill^{mi} nostri aula quidam. Narrat quemadmodum meæ, & *D. Iusti Baronij* literæ *Heidelbergæ* sint ad eundem Reu^{um} & Ill^{um} nostrum missæ. Integræ, inquam, clausæ & obsignatæ? Non, inquit, sed apertæ ac resignatæ. Imo marginalibus etiam notationibus, & sublineata rubrica illustratæ. Auebam videre, & ipsa ilico apographa profert, non tam ipsa, quod optassem, autographa. Obstupui: nec tamen steterunt comæ: sed animus; & vt *Philolachus Plantinus*: diu cogitavi, argumenta in pect^o multa institui, eamque rem in meo corde volutavi, & diu disputavi. Tandem verò, nō possum, inquam, minus, quam non quidem apud alios, sed apud ipsummet *D. Tossanum* conqueri. Dominum illum alterum non novi: & si nossem, forte causa etiam esset, cur de eo putarem silentium latius. *D. autem Tossanum* concionantem quandoq; audiui, & è scriptis

ptis noui. Sacras is literas legit: pacatius
 & utilius cum eo licebit agere. Prior etiam
 è duobus nominabatur. Et Notheticam hi-
 lce diebus in nostra hæreticorum Biblio-
 theca vidi Epistolam, quam ad Theologum
 Moguntinum ipse olim, non priuatis lite-
 ris, sed Typis publicis destinauit: ægro fer-
 re animo haud poterit, si Moguntinorum
 nunc aliquis, ab illo læsus, & iniuria non
 vulgari affectus, aliquam ad eum vel quæ-
 relam vel monitiunculam priuatim & ar-
 canè mittat. Obsecro te igitur, mi *D. Tossa-*
ne, cum pax Dei Opt. Max. benignitate in
 terris alta est, cum inter principes & popu-
 los bella nulla sunt, quod nam tibi alienas
 literas interuertendi & recludendi ius? An
 plusquam ^e *S. Paulo* vobis prædicantibus *et. Cor. 6. 2*
omnia & licent & expediunt? An quia ipsi *et. 10. 23*
 Dei Ecclesiæ, diuinarum literarum libros, *Eccles. 37. 31*
 diuinæque gratiæ sigilla iam aliquot detra-
 xistis, eius etiam membris & alumnis pub-
 licum humanumque literarum & sigillo-
 rum vsu eripietis? Quia Christi Domini
 ac S^{is} Nⁱ omniumq; cœlitum signa sustuli-
 stis, in Epistolarum etiam sigilla inuadetis?
 Quia Ecclesiasticas & Pontificias leges cõ-
 tempstis, diuinas etiam, & quas ipsa omni-
 um animis infixit in sculpitq; natura, con-
 culcabitis? Diuina vtique, & prout contra
Calumo vestro similitum ^f *Faustum San-* *f Lib 15 7a*

M Aus

Cuius dicit Augustinus; *naturalis lex est, Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Si verò literarum quidpiam tu aut in Hollandiam ad *Iunium*, aut in Galliam ad *Bezam*, aut verò ad tuorum vllum aliò dares, ealhe aut hic *Moguntia*, aut alibi vsquam, ab eo qui cum non agis, capi & referari velles? Imo his ipsi, quas ad te iam scribo, (et si momenti nò magni sunt, alienas in iijci manus optares? Verumtamen dico tibi, quia Imperatori *Alexandro* remissius erit in die iudicij, quam tibi. *Clamabat .n. Sapius,* (s̄ Lampridij verbis utar) *q̄ à quibusdam sine Iudais, sine Christianis audierat & tenebat, idq̄, per praconem, cum aliquem emendaret, dici iubebat: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Dum animo interdum mecum reputo, vt fundendarum pro vita functis precum è^h Sacris Biblijs exemplum profligaretur, per vos *Machabæorum* librorum auctoritatem à Satana maximè oppugnatam, venit in mentem vereri, ne in sacrum *Tobie* librum idem iuris & honestatis omnis aduersarius linguas stylosq; vestros tanto hactenus opere incitarit & exarmarit, vt ex eodem diuinorum librorum tabulario tam præclara tamque hominum generi utilis & necessaria hæc naturalis lex per uos eraderetur: sicque sensim per axioma vestrum, quia *in Biblijs scripta non esset*; ex hominum animis & moribus peni-

g^o in *Alexa.*

b³. *Mach.*
12. 74. 45.

tus exterminaretur. Etsi enim paucis quibusdam visum olim aliter, ea tamen hodie in tota Bibliaci corporis structura, neq; secundum vnam nostram antiquam, neq; secundum vestras tot & tam varias versiones nouas, nisi in aureo & Canonico ⁱ Tobie libro, disertè perscripta. Sed Senex apud vos taceat Tobias. Vates audiatur ^k Isaias. *Erit, ait, vobis visio omnium, sicut verba libri signati, quem cum dederint scienti literas, dicent: Lege istum, & respondebit, non possum. Signatum est enim. Is, de quo mihi postea loquendum; hæreticus habet quidem loco aliquo Tremellium, & in Iunio dissentiens à Beza iudicium commendat: Bibliacam tamen eorum versionem mirè improbat, ocysimumque ipsi aut sepulchrum, aut Vulcanum auguratur. Quia tamen isthic nata, vobisque admodum bella & bona est, meminisse poteris, in ea pro signato libro, literas poni obsignatas. Hæ verò legendi peritum cum dantur, quomodo se ideo legere non posse respondet, quia obsignatæ sint? non manibus, dentibus, cultellis earum claustra frangere, sigilla conuellerè, totas explicare, explicatas arbitrato suo legere ac relegere poterat? Sanè si Phisicam vim & robur spectemus, poterat: si Ethicam, qua id posse dicimur, quod ritè recteq; possumus; non poterat. Quemadmodum si hisce meis per-*

Cap. 4. 16.

Cap. 29. 11.

lectis, aut efferuescens iræ impetus, aut biliosior astâtis alicuius vox tibi diceret: Quid *Tossane* cessas? Irascere, Irascere: nouamque vili huic animæ plagam inflige: tu pro tuâ prudentia & grauitate responderes, non possum. Si enim naturalis tantum facultas consideratur, posses profecto in me stomachari, nouiq; quidpiam sycophantari. Sed si quam recta regat ratio & iustitia, potestas spectetur, nihil potes. Isto igitur modo inducit illum Prophetâ dicentem, se ob signatas legere literas non posse, vt exinde liceat intelligere, quæ apud omnes tum signatarum rerum fuerit religio, quæque apud omnes è naturæ præscripto esse semper debeat. Vt cum meæ illæ tibi traderentur, simulq; vel à tuo ipsius animo, vel ab eo, qui tradebat, diceretur, lege, respondendum abs te merito fuerit, *Non possum. Nam ob-*

Cap. 5. 1. *signate sunt.* In¹ *Apocalypsi*, quæ et si *Lutheranis* Apocrypha, vobis tamen *Caluiniânis* Canonica est, *liber septem signaculis signatus* profertur, magnæque ab Angelo voce clamat. ^m *Quis est dignus aperire librum, & soluere signacula eius?* Si naturales tantum vires, & audacia requireretur, essent in promptu, qui septuaginta etiam soluere ac frangere possent signacula. Sed quia dignitas, ius, & potestas legitima & sancta in eo, qui soluere vult, necessaria est, subdit *S. Iohannes,*

hannes, præter innocentem & diuinum illum agnum ⁿ nemo poterat neq₃ in cœlo, neque ⁿ *Ibid. 6. 3.* in terra, neq₃ *subtus terram aperire librum,* neq₃ *respicere illum.* Nō sunt quidem literularum mearum quisquiliæ cum augusto mysticoque signato libro illo conferendæ: Sed ex ea tanti Apostoli visione ac descriptione cognoscimus, ad ea quæ sigillis clausa & munita sunt, aperienda & inspicienda, non esse quemlibet aptum & idoneum: Verum tantummodo illos, qui digni sunt, dignitate morali, iustitiæ naturæque consentanea. Noster vero S. Paulus quid? ^o *Hæc ait, 01. Thess. 4. est voluntas Dei, Sanctificatio Vestra:* Et paulculis interiectis, ^P *ut ne quis supergrediatur, p. Ibid. 6. 6. neq₃ circumueniat in negotio fratrem suū, quoniam vindex est Dominus de his omnibus.* Qui vero pacis tempore, in publica principum gentiumque tranquillitate, quod alterius est, inuito eo arripit, ipsum non supergreditur? & si ex eo, quod arripuit perniciem ei aliquam & incommodum creare nititur, eum non circumuenit? Sunt autem quæ ad aliquem ab aliquo mittuntur Epistolæ, dominorum duorum. Nam qui mittit, suas esse manu signoque suo indicat: is verò ad quem mittuntur, & interiore illarum appellatione, & exteriori tergi superscriptione, sibi eas iure vendicat: & cum eas alius quispiam retentare ac dirumpere vult, re-

clamat & renititur illorum vterque, absens licet: vnus per complicationem & sigillum suum: per superscriptionem nomenq; suum alter. Vt duplex hic quodammodo interueniat supergressio & circumuentio. Valde igitur Dei voluntati repugnat, valde sanctificationem suam impiat & polluit, valde diuinam suam in caput vindictam accersit, literarum eiusmodi retentator & disruptor. Atque hæc & his multo plura, quæ diuinus passim suppeditat codex, apud omnes, apud Theologum tamen & Superintendentem præsertim, momenti esse debent maximi: si tamen libeat, interroga, mi *D. Tossane*, ipsos etiam Iurisconsultos, aut si fortè (quod mihi quandoque vester videtur fecisse *Iunius*, vti & ante annos aliquot *Sohnius*) eos legisti, recole quemadmodum ad *Cornelianam de falsis* legem & pœnam, literarum alienarum apertores & inuulgatores reuocent ¹ *Bartolus*, ² *Clarus*, ³ *Dambuderi*, alij. Sed quod ad illam reuocent, non propriam in istos sanctionem afferant, vel ideo accidit, quod hoc iniuriæ genus tantum sit, vt quemadmodum de scelere aliquid dixit Apostolus, ⁴ *ne inter gentes quidem auditum esset*: vel ⁵ vti de parricidio dixisse *Solon* dicitur, *nunquam id futurum suspicarentur Christiani*, Ethnicique legum latores. Et quæ alia etiam causa, cur aut Philosophi, aut

q Bartol. l.
Cor. de fal.
& Titio ad
municipa-
lem.
& Clar. li. 5.
sentent. 4.
Gers. Ape-
viens.
J Dambud.
an Praxi.
crimin. c.
122. n. 19.
E 20
81 Cor. 5. r.
16 Pl. et. ar. in
Solano.

aut Grammatici, verborum quibus quæq; res
 nominetur, artifices, nullum, quod quidē
 sciā; ijs qui culpa sese tali astrinxissent, no-
 men imposuerint? Alioquin vt in similibus
 cognatisque vicijs, non dubito quin per a-
 liquam saltem imitationem, Græcè ac La-
 tinè *Grammatocleptas, Grammataposphra-
 gistas, litterifragos, & litterirupas* haberemus.
 Mitte istos tamen, & ad Iudæos perge. In-
 uenies, quemadmodum dictitent, & in quo-
 tidianis ac familiaribus etiam Epistolis
 scriptitent, horrēdam *Rabbi Gersonis*, quem
Meorath haggolah, siue captiuorum exulna-
 que lumen vocant, ijs execrationem impen-
 dere, qui quæ ad ipsos non spectarent, dis-
 soluere at referare literas audeant. Et licet
 quam Cornelia pœna, quam Gersonicum
 anathema hoc, multo magis illa, quam su-
 pra denunciabat * Apostolus, Dei vindicta
 extimescenda sit, ex hisce tamen à Christia-
 na sanctitate alienis, cæcis mortalibus dis-
 cimus, vim aliorum signis & Epistolis ad-
 hibere quam detestabile sit. Magis tamen
 fortasse credas, si è tuis aliquos audias. In
 suo igitur Theatro⁹ Theodorus, *alienas li-
 teras resignare, curiositatis, ait, & perfidie est.*
 Scholæ Vestræ antecessor, nisi tamen (vti
 cum superiore mercatu eum Francofurti
 viderem, facturum mihi quidam Geneuen-
 sis dicebat) à vobis discessit *D. Gothofredus,*
 M 4 in

21. Tb. ff. 4.
6.

9 Volum 2.
10. n. 3 pag.
256.

2 In l. qui
testamenti
amouens.
ff de leg.
Corn. de fal.
seu D. li. 48.
Tit. 10. 2.
a Luther.
Tom. 9. Wie
senb f. 92.
E 293.

in sua interlitorum ac resignatorum testa-
mentorum explicatione, ² Resignat, ait, qui
sigillum auferit, vel qui aperit. Id Bartolus ex-
tendit ad eum, qui literas alterius aperit. Sed
omnium instar sit magnus vester Parens,
qui in Geneuensi Calendario vestro, vnde
sanctos Dei cœlites exturbastis; verus Dei
seruus indigitatur, ^a Martinus Lutherus. Is
non priuatum aut prædicantem quempi-
am, vt ego iã, admonens, sed prout gloria-
tur, Illustriss^m Saxonie Ducem Landgrauum
Thuringæ, Margrauium Misnie acculans,
& maledictis (quam rectè vos maledici hu-
ius nepotes videritis) figens omnibus, Fur,
ait, est fur, siue pecunia fur, siue literarum fur
sit. Et postea. Non est in orbe terrarum maior
literarum falsator, quam qui arcanam Epi-
stolam contra Domini eius scientiam & vo-
luntatem aperit, vel alieno dat. Aut si eius
Germanica, quod in ijs energiæ plus fortan
sit, malis, bonâ eorum, quibus ista lingua-
rum non placet permixtio, veniã transcri-
bere non grauabor. Dieb ist ein Dieb / er
sey ein gelt Dieb / oder brieff Dieb. Vnd
ein kleines darnach. Kein grösser Brieff-
fälscher ist auff Erden / dann wer einen
heimlichen Brieff / wider wissen vnd wil-
len seines Herrn offenbaret / oder einem
frembden zu eigen macht. Habet ibidem
generis eiusdem alia complura. Sed hæc a-
pud

pud humaniores, quia sūt acerbiora, nimis
 etiam fortasse multa. Quia tamen tam li-
 benter literas nostras aperitis, ex te scire
 velim, quis tuus ea in re sensus? Quid spe-
 ctes? an vt alieni nouique cognoscas ali-
 quid? Nimia id curiositatis est: nimijà re
 sua ocij. Scin' quid ^b *prisca Locrensiū lex?* ^b *Plut. lib.*
 Ab alio absq; iniuria vlla solo verbo qua- ^{de curios.}
 rere, *quid noui?* capitale fuit. Quid alienas
 eam ad rem schedas cōpilare, annulos aut
 ceras refringere? ^c *Culpa est, ait iuris regula,* ^{ff. de diu.}
immiscere se rei ad se non pertinenti. Turpe ^{regul. iur. l.}
 est, si prädicantes ^d *aliene* ^{36.}
^d *Iuuenal.*

Scire volunt secreta domus atq; inde satyr 3.
timeri,

Perq; nefas quarunt toto quid fiat in orbe,
Quid Seres, quid Thraces agant.

Rogamus, ait Apostolus, vt operam detis, ^{ei. Th. ff. 4.}
vt quieti sitis, & vt vestrum negotium agatis. ^{11.}

Iterumq; cum Thessalonica quosdam cu-
 riosè agentes inaudisset. ^f *Is, ait, qui eiusmodi* ^{f 2. Thess 3.}
disunt, denunciamus, & obsecramus in D. Iesu ^{12.}

Christo, vt cum silentio operantes, suum panem
manducent. An ne contra vos machinen-
 tur aliquid litteræ metuis? In tanta Imperii
 sacri principum coniunctione, in nulla vel
 minima bellorum suspitione, nimi^o est ille
 metus, nimia timiditas. Nosti de quibus di-
 cat ^g *Regius Propheta. Trepidauerunt timo-* ^{g Psal. 13. 5.}
re, vbi non erat timor. Apud iuris prudentes, ^{Psal. 52. 6.}

M 5 h'ani

h. l. 184. ff.
di. Reg. Iur.

o In 4. Com-
sul. Honorij.

Vani timoris Iusta excusatio non est. Pul-
chrè ac sapienter monuit Claudianus.

*Rumorum ne avidus. Qui talia curat, in-
anes*

*Horrebit strepitus, nulla non anxius hora.
Cum tamen expenditur, à vobis literas,
ne quæ tendebant, peruenirent, impeditas,
isthic apertas & notulis asperfas, sicque ad
REV^{mum} & ILL^{mum} nostrum *Aschaffen-
burgum* missas, apparet vel cum duabus po-
sitis iam causis, vel absq; iis, huc vos colli-
masse, vt mihi, aut per me, Societati nostræ,
ipsisque adeo antiquæ fidei sectatoribus, è
verborum, si liceret, quorundam tendicu-
lis Calumniam strueretis. Et hoc prioribus
illis multo grauius. Seria & clara Verantis
Dei vox est. *Non facies Calumniam proxi-
mo tuo.* Et magno in Vitio eam ponit è Pro-
phetis, qui dicit, *Chanaan in manu eius sta-
ter a dolosa, Calumniam dilexit.* Sed bene ha-
bet, inquit, S. Hieronymus, *quod malitia
non habet tantas Vires, quantos conatus. Peri-
erat innocentia, si semper nequitia iuncta esset
potentia. Et totum quiddam cupit calūnia, prana-
leret.* Vt ergo cognoscas, scopo isto excidisse
vos, frustra que cum Geraritis, de calum-
niæ puteo, aduersus *Isaaci* pastores corri-
xari, de meis tantum, non de aliis quibus
eadem iniectæ compedes, literis exponam.
Habent aliarum illarum Domini ætatem,
& b*

& *Leu. 19. 13*

1 Hosea 12.

7.

& si quando iis consultum videbitur; loqui possunt. Do^{um} certe *Iustū Baronium* ne huius quidem consilii scriptionisq; meæ consocium studiō volui, ne forte ipsi apud vos essem *unguis in ulcere*. Licet enim de ipso tu pro concione, quam alii quidam humanus, prout ex eorum, qui assiduas tibi aures prebent, vno eoq; vt opinor, minimè fatili audiebam, continere te tamen haud potuisti, quin eius ad catholicam Ecclesiam accessum in alias potius, quam in veritatis, æternæq; salutis amorem, causas conferres. Sed vlitata hæc iam in omnes, quos ab erroribus vestris reuocat pater Luminum, miserator & misericors Dominus, criminatio, neq; tamen noua. Cum n. *Manicheorum* heresin detestatus *S. Augustinus* ad Catholicos transisset, quas non illi vanitimo- ris, vanæque gloriæ causas finxerunt? lege si libet, vel vnā ad illum *Secundini Manichei* Epistolam, aut potius, quæ in libri contra ipsum principio ipse sanctus respondit. *m* *Tristis, ait, sum, quod tenaciter in hæstisti suspitionibus falsis, partim aduersus me, partim aduersus ipsam, qua mutari non potest, veritatem.* Et paulo post. *Senti de Augustino quidquid libet, sola me in oculis Dei conscientia non accuset.* Iterumq; *Non bona de me suspicatus es, quod carnali timore alicuius incommodiatis, qua de vestra Societate mihi accide-*
dere

*m S. Augu.
lib. cont. Sa-
cund cap. 6.
E 2.*

dere poterat, heresin Manichaorum relinquere, vel cupiditate honoris. Eadem aut certe similia vobis respondere posset non D. Iustus Baronius tantum, sed alii etiam tot & tanti, quos ab Ecclesia vestri abstulerant errores, & ad eam nunc immensa Dei bonitate & gratia, non in Germania tantum, sed Polonia etiam & Gallia, ubi præcipue Christianissimi Regis eminent, stellarumq; aliarum chorum ducit exemplum, reuertuntur. Verum ad meam venio epistolam, & in ea primo ipsa occurrit Epigraphe, quæ isto se modo habuit.

*Reuerendissimo & Illustrissimo D. Cesari
Baronio Amplissimo S. R. E. Cardinali Roma.*

Clamabant hæc omnia neque *Heidelberge* neque *Neostadii*, neque in toto *Palatinatu* quenquam esse, ad quem hæc mitteretur Epistola: ideoq; in ista quidem civili, communique Germaniæ ac Italiæ pace ac tranquillitate, à nullo eam ibidem frangendam & lustrandam. Flagitabat hoc etiam Reuerendissima & Illustrissima eius, cuius scriptum nomen, dignitas, Sanctitas, & virtus eximia. Aut si apud vos vilia hæc, eo saltem in loco, ubi Academia est, ea in vrbe quæ literarum altrix, vetusque sedes; valere aliquid debuit egregia viri illius tot tantisq;

tisque in lucem editis operibus testatissima
eruditio. Apud alios sanè,

—ⁿ *Ingenuas didicisse fideliter artes,* *n Ouid. 2*
Emollit mores, nec sinit esse feros. *de ponto. E-*

Quanto apud Academicos magis? *Vi. pist. 9.*

sum multus in locis non raro, ut doctorum
in doctos homines, etiam absentes & de fa-
cie ignotos tantus extaret amor, humanitas
tanta, ut quos vidissent nunquam, dilige-
rent, omnique si possent officio prosequerentur.
Indoctum verò te si quis diceret, iniuriam
opinor tibi fieri putares. Imo etiam fortasse,
si quis ignotum, inuisum, vel inauditum tibi
Baronium affirmaret. Quomodo n. eum, cui
Ecclesiæ antiquæ notissima esse debet facies,
lateat præstantissimus Ecclesiasticæ antiquitatis
scriptor, tot in locis, & toties iam culus & recus-
sus? præsertim cum è vestris, quib⁹ alia tamen
studiorum Sparta est, eum legerint interdumq;
commendarint aliqui. Dominum vestrum
Freherum in suo *de census numismate* tra-
ctatu omitto: *Iosephus* certè *Scaliger* in Cor-
rectionis suæ correctæ Prolegomenis de i-
ploita; *Vir eximia doctrina Dominus Caesar*
Baronius, *Annalium Ecclesiasticorum scri-*
ptor. Et postea sæpius, *doctus*, & *eruditissimus*
Vir. Quid, quod in eo aliquid se vidisse, in
suarum contra nos calumniarum farragi-
ne, indicat *Celsizans* & *Lucianizans Lapis*
vester?

vester? Equissimum igitur erat, te tantum Calvinianæ Theologiæ professorem, Prædicantem, & Superintendentem, quæ tanti viri essent, literas iniuria nulla violare: aut si qui violare alii voluissent, cum illo, cui apud Poëtam inermis dextra, legumque amor, exclamare.

o *Aeneid.* 11

o *Quo ruitis? quare ista repens iniuria surgit?*

O Cohibete iras!

p 2. *Tim.* 2.
20.

Si autem cur ad eum ego, qui in *P magna Dei domo* vile ac inhonorum vas sum; scribam, & quidem tam pœnè familiariter, quæras: Scito eum à pluribus iam annis, p eximia sua erga omnes humanitate me nullo meo sanè merito, ad amicorum suorum, quos ubique habet plurimos, album aggregare dignatum fuisse: idque percrebris ad me literis priuatim, suis etiam doctissimis voluminibus publicè, omnibusque benevolentia amicitiaq; symbolis ante & post *Cardinalatum*, non leuiter contestatum fecisse. Non est, non est mi *D. Tossane*, tanta in Ecclesiæ principibus arrogantia & fastus, quantum vos ex vmbonibus vestris interdum declamatis. *Ad populum* scilicet *Phaleras*. Verum in Epigraphe ista cum quod calumnia pateat, nihil: multa vero sint, quæ ab iniuria magno illi viro, præclaro seculi nostri ornamento inferenda men-

tes

tes manusque vestras arcere debuerint; Videamus, an intro in ipso earum literarum penetrati latuerit forte quidpiam. Tria earum fuisse capita legisti. Primum erat de Domino quondam Calviniano *Iusto Baronio* Alterum de Clarissimo Viro Norinburgensi Patricio. Do: *Carolo imhoff*. Tertiū de quodam Græcæ ac Hebrææ linguarum gnato hæretico: Primum christiana dictavit charitas: secundum cum eadem charitate vetus amicitia: tertium prudentia. In primo, cum variè tum & acerbè à vestris vexaretur D. *Baronius*, opis ei & consolationis aliquid afferre studebam laudabam *Admodum Rdū & Nobile Dōm Metropolitanæ huius Ecclesiæ Decanum*, ob magna & illustria in illum merita: ostendebam è Pontificia munificentia solatii fructusque plurimum iam acceptum, è commendatione vero, quam ad Reuerendis^m. & Illustris^m. nostrum dederat; sperari consimiliter non parum: Quod et propter insitam virtutem atque clementiam, & propter insignem erga Apostolicam sedem, cuius *Moguntina Ecclesiæ specialis filia* dicitur, obseruantiam, bona boni principis mens esset. Quod ad alterum attinet; Dominus illi *Carolus*, sua in patria, inter ciues, propinquos, affinesque suos, arctum & diuturnum iam inde à Paschate, solius Catholicæ religionis cau-

sa

sâ, perpetiebatur carcerem. A pluribus vero annis, cum hærese non auia deserens rectam veteris fidei viam inijt, mihi cum eo maxima esset cœpit necessitudo. Ipsum tam duro tristisque tempore, tam bona in causa, tantaque innocentia deserere, amici non fuisset. Cum meo igitur S. Paulo, ⁹ *memorans eius faciebam in orationibus meis, sine intermissione* ^s *memor operis fidei eius, & sustentia spei D. Nostri Iesu Christi, ante Deum & patrem nostrum,* idemque ab aliis pluribus fieri rogabam. Tandem verò mihi etiam, quod mendicis licet omnibus, persuasi, ut humanam ab iis opem & auxilium peterem, quos & pro summa sua dignitate & auctoritate posse aliquid: & pro intensa sua erga Deum & homines charitate, insignique beneuolentia & bonitate velle, certo scirem. In his vero, quid ni Reuerendis^{us} & Illustris^{us} de quo supra, Cardinalis Baroniis? Opem tamen & auxilium petebam, non aut violentum, aut vlllo modo turbulentum, ciuitatiq; illi, quam ex quo tempore vidi primum, semper dilexi & colui, molestum & graue: absit. Sed inter amicos etiam vlitatum, placidum, & eiusmodi, quod ne barbaria quidem vlla improbaret. Verbi causa, ut *Augustum Sacri Imperii caput rogaretur* (meum hoc verbum erat) ut iuberet *legitimo* (& hoc meum) illum *modo*

9 Ad Phil.
lem 4
r2. Tim. 1.3.
1. Thes.
1.3.

modo à Senatu illo accusari, eique ad ea, quæ
 obicerentur respondendi potestatem fie-
 ri. Nam & hoc latrociniorum, scelerumq;
 omnium conuictissimis, apud tribunalia
 concedi passim videmus: & ad S. Paulum o-
 lim dicebat Agrippa, ^{permittitur tibi loqui Actor.}
pro tmet ipso. De Tertio autem capite sic se ^{26. 1.}
 res habet. Hæreticus ille cuius libens &
 tum pepercit, & nunc etiam parco nomini,
 sæpè mihi dixerat, cupere se *Italiam* visere,
 Ipsi etiam, si quidem liceret; Pontifici, ex
 Hebræis Rabbiorum commentariis con-
 tra perfidiam Iudæorum, aliorumque (se-
 mel *Caluinistas* nominauit) cæcitatem, ope-
 ram nauare. Commendam ergo aliis qui-
 busdam prioribus literis huic ipsi Reu^{mo}
 Cardinali hominem, & quæ ipsi vel natu-
 ra, vel studium & labor dederat, literaturæ
 alicuius talenta, quantum verè amiceque
 poteram, laudaram. Ne tamen mea hæc
 laudatio, si quæ itineris adiumenta posce-
 bam, impetrassem, aut sacrosanctæ fidei
 sinceritati, aut ipsius D. Cardinalis expecta-
 tioni fraudi esset, visum fuerat, non quæ
 scripseram reuocare, sed quæ penitiorè po-
 stea introspectu & experientia deprehen-
 deram explicare. Idem verò, ne & hoc ne-
 scias; hæreticus superiore hoc ipso Nouem-
 bri litteras adhuc ad me dedit, quibus de su-
 is cum Reu^{mo} Cardinale *Bellarmino* studiis

N

agi

agi optabar. Habes capitum, quæ in illis
 meis inerant; & occasiones & causas. Quid
 in iis verò, propter quod leges naturæ, Dei,
 gentiumque omnium perumpendæ fue-
 rint? Quid è quo vel criminatiuncula mi-
 ipsa exsculpat Calumnia? Quid aut contra
 te, aut tuorum vllum? Nam iste, de quo iam
 aliquoties; hæreticus, neque Lutheranus,
 neque Calvinianus, neque purè putè secta-
 rum earum, quæ his in oris apud nos palam
 vigent; vllius est. *Lutherus* ei crassus & rusti-
 cus est: *Calvinus* in scripturarum divina-
 rum expositione, stupidus & inconstans;
Beza indoctus & penè infans. Alia taceo.
 nonne fugientem è Mesopotamia Iacobi-
 mitari iam possum, tibi que minus quam
 habuerit *Laban*, causæ habenti dicere:
*Quam ob culpam meam & ob quod pecca-
 tum meum, sic exarsisti post me, & scrutatus
 es omnem suppellectilem meam? Quid inveni-
 sti de cuncta substantia domus tue? Pone hic
 coram fratribus meis, & fratribus tuis: & in-
 dicent inter me & te: Iudicent sapientiores
 doctioresque, & indoctiores omnes è tuis
 Prædicantibus, Theologis, Academicis.
 Quosdam enim quibus non Cornea fibra
 est, adhuc apud vos novi. Vel potius, quo-
 niam priua est mea hæc epistola, & inter nos
 soli tantum agimus, iudica tu ipse, fieri ne à
 vobis debuerit, quod factum est. Et iudicare
 melius*

a Genes.
 31. 36.

melius vt possis, percurram ea breuiter, quæ
 vel à te vel ab alio aliquo (nihil n. de hoc au-
 dire potui) in exemplo, quod à nobis adue-
 nit, minio subnotata erant. Ea enim potissi-
 mum sunt, quæ in inuidiam & odium tra-
 here, atroque si licuisset, carbone deforma-
 re voluit maleuolentia: & ad solum è tribus
 antea positis epistolæ capitibus primum
 pertinent. Sunt autem numero quatuor.
 Quorum primo est etiam in margine præ-
 fixa notula hæc, n. c. Sed in qua Dauus ego,
 non Oedipus. Illud verò in hisce verbis est.

*Vxorem verò ipsius ac liberos dimittere ad
 ipsum nolunt Heidelbergenses.*

CUM Epistolam illam scriberem XII.
 Calendas Septembris, ita profus e-
 rat. Etsi enim postea Illustrissimi Electoris
 clementissimo annutu & benignitate, tam
 vxor quam liberi ad *Baronium* dimissi
 sunt, nondum tamen tunc libellum suppli-
 cem acceperat illi⁹ Celfitudo, & ab *Ecclesi-*
astico interim, vti apud vos nominatur, *Se-*
natu bona illa crebrius vocabatur & exami-
 nabatur fœmina, idque etiam aliquandiu,
 prout ego quidem audiui, post optimum
 & clementissimum ipsius Illustrissimi Pa-
 latini responsum & concessionem. Alte-
 rum in istis est.

*Ad Reuerendissimum & Illustrissimum no-
uum Electum nostrum.*

Hic quæso peccati quid? nihil video, nihil ne suspicari quidem possum. Nam reuera erat *Reuerendissimus, & Illustrissimus* erat etiam *Nuus electus, & erat Noster*. Quæ Argiua hic igitur calumnia? forte id est, quod *Confirmatum* non addiderim. Sed in litteris, latinis præsertim, non semper solent integri Dominorum tituli recenseri. Et vt recenserentur, nondum tunc, vti modo, *Confirmatus* dicebatur. Tertium est hoc. *Nisi bonam boni principis mentem, quædam fortè quorundam consilia & voces impediant.*

HORUM causa sententiaque verborum est. Aiebam de Reuerendissimi & Illustrissimi Archiepiscopi, Dominique nostri benefica in *D. Baronium* voluntate bonam concipiendam spem, quia & bonus esset princeps, & bona eius mens. Quia tamè occupatissimis, variaque rerum momenta pensitantibus, ea etiam interdum, quæ maximè vellent, vel excidunt, vel aliud in tempus differuntur, ostendebam, si quid huiusmodi fortè iam accideret, id malam in partem à nullo interpretandum, neq; Principis bonitati, sed alijs potius impedimentis
asscri-

ascribendum. Verbi causa, quibusdam quo-
 rundam fortè consilijs & vocibus. Licet e-
 nim qui Principibus loquuntur, vel confi-
 lia dant, integri boniq; viri sint, de eâdem
 tamen re non eadem semper sentiunt & di-
 cunt: initio maximè, cum subito quid agen-
 dum, aut loquendum. E varijs n. rerum cir-
 cumstantijs aliæ alijs, vt alio atq; alio mo-
 do iudicent, occurrunt. Quid atra hæc ergo
 rubrica significat? an mentiri me, cum *bo-
 num principem* appello *bonamq;* ipsius *men-
 tem* scribo? E rubricatoris ergo sententiâ
malus ille, & mala ipsius mens. At hoc ipsius
 Principis abuti patientia foret, eas ad eum
 litteras remittere, quæ hoc ipso nomine
 mendacij accusarentur, quod *bonum il-
 lum, bonumque ipsius animum* prædica-
 rent.

An nimis parum tribuere, cum impediri
 posse insinuo? At hominem à nullo impe-
 diri posse, supra hominem est. Non vult tan-
 tum sibi tribui, quisquis sapit mortalis vl-
 lus. An adulari, quia eius laudo bonitatem?
 at certè apud alium & remotissimè quidem
 à R. dis^o ipso disiunctum loquebar: neque
 futurum vnquam putabam, vt meæ à vobis
 harpagarentur literæ, ad illiusq; Celsitu-
 dinem mitterétur. Et sanè multo aliàs, & a-
 lijs plura & maiora scripsi, quia penè à XX.
 annis, cum ad meliorum literarum studia

incumberet adhuc adolescens ; præclara mihi eius indoles perspecta : Sed ita vt exigui quidem , debiti tamen huius officij mei nihil hæctenus à quoquam rescierit : neque adhuc rescisceret, nisi vos, nocere dum vultis, nostram erga eos , quibus debemus obseruantiam in lucem efferretis. At fortasse horum nihil Rubricatori meo in mēte fuit : sed hoc vnum tantummodo , de me, velut impio, clamare : * *Blasphemauit*, quia bonum ait suum principem, contra ipsam scripturam, quæ dicit : *Vnus est bonus Deus*. Et in alio Euangelista, *Nemo bonus, nisi solus Deus*. Eo enim arguendi modo Catholicos omnes blasphemie reos nō rarò facitis, quod ab ijs Beatissima Deipara, *Vita*, *dulcedo*, & *spes*, sancti verò, qui beato iam in cœlis æuo perfruuntur, *Mediatores* vocentur. At sanè alibi in eadem scriptura inuenitur *bonus homo*, *bonus* & *rectus corde*, *bonus seruus*, *bonus miles*, *bonus dispensator*, *bonus pastor*. Sed miniatori meo illud satis : *a Bonus homo de bono thesauro profert bona : & malus homo de malo thesauro profert mala*, vt alienas literas, suasque calumnias proferre deinceps desinat. Sed quemadmodum aliter Deo & Christo Iesu D^o. ac Sⁱ. N^o. conuenit *mediatio*, *vita*, *dulcedo* & *spes* : aliter B. Virgini & Sanctis : ita etiam *bonitas*, prout doctissimè grauissimeque more suo exposuit in *b^o octauo de Trinitate*

* Matth. 26
45.

y Matth. 19
17.

z Marc. 10.
18.

Luc. 18. 18.

a Matth. 13
85.

b^o D. Aug.
18 de Trin.
cap 3.

tate S. Augustinus. Quartum deniq; quod
minio rubefactum fuit, est hoc. *Quoad ex-
tracta uxor & liberi sint, tempus tacendi.*

Vix tandem etiam, cum citius Illustris-
simi Electoris Clemens benignaque natura
missionem annuisset; abeundi potestatem
fecisse illum, qui *Ecclesiasticus* isthic voca-
tur; Senatum, supra iam exposui: & si quod
interea verbulum mutijset *Baronius*, non-
ne remoras *Senatus* ille plures iniecisset?
Monebat igitur ^o *Ecclesiastes*, *tacendi tunc* ^o *Cap. 3. 7.*
esse tempus. Nomen verò quod mutare sta-
tuerat, in causa erat insignis Catholicorum
multorum zelus, apud quos *Lutheri*, *Calvi-
ni* & similium adeo execrabilia nomina
sunt, vt suorum nulli vellēt imposita. Quis
aut sibi, aut suorum alicui proditoris *Iudæ*
nomen vellet? Qui Aristocratiam olim o-
derat, *Aristocratem* non ferebat, & vti ha-
bet puerbium; *Scellij filium abominabatur.*
Scirus, ait in Corinthiam priorem S. Chry-
sostomus, *nos ne audire quidem velle eorum*
nomina, qui sic (in rebus quæ ad salutem spe-
ctant) *decipiunt.* Vix possum, quin ad *Iacob*
nunc meum redeam, & cum in verbis meis
nullum vlli calumniæ locum esse monstra-
tum sit, eum rursus imiter, & dicam. ^d *Nisi d Genes. 31.*
Deus patris mei Abraham, & timor Isaac af- ^{4.}
fuisse mihi, forsitan nudem me dimisisses. Ere-
pta scilicet non tam mihi, quam per nomi-

nis mei occasionem, Societati nostræ fama,
 omnique apud Reuerendissim. nostrum, &
 sapientissimos eius Consiliarios, gratia. Sed
 4. *Psal. 63. 3. protexisti me Deus à conuentu malignantium,*
 4. *Et seqq. à multitudine operantium iniquitatem. Quia*
exacuerunt, ut gladium, linguas suas, intende-
runt arcum rem amaram, ut sagittent in oc-
cultis immaculatum. Narrauerunt ut absco-
derent laqueos: dixerunt, quis videbit eos? scru-
tati sunt iniquitates: defecerunt scrutantes
scrutinio. Quid est mi D. Tossane, cur nos
 tantopere oderitis? cur in nobis, nostrisque
 reculis adeo iuris omnis, & naturæ, & gen-
 rium, & publici, priuatique obliuiscamini?
 cur in nostram tam curiosè maligneque inqui-
 ratis omnia, & ex innocentissimis etiam
 verbulis, literarumque apiculis assiduos no-
 bis laqueos texere connitamini? *Germani-*
ca certè natura facilis & placida est: institu-
 tio neque agrestis, neque absque literis. V-
 na vna vos excæcat hæresis: Vna efferat, o-
 dioque in nos tanto inflammat. Vna hæc effi-
 cit, ut per fas & nefas, apud summates, infi-
 mates, doctos indoctos, iuuenes & senes,
 verbo factò, clam palam nos in odium, in-
 uidiam, & exitium rapere, noctes & dies
 cogitetis & adlaboretis. Vestros quidem er-
 rores detestamur, & vos fieri si posset, ab ijs
 inter liberaremur, attamen neque lite-
 ras vestras intercipimus, neque ali-
 am

am ullam vobis iniuriam inferimus. Quia
 verò si qui è vobis, siue Prædicantes, siue
 Professores, siue discipuli, ea in loca, vbi su-
 mus, in nostra èt *Collegia* veniãt, non modo
 non repellimus, sed qua possumus humani-
 tate ipsos, quod ferè vnum cupiunt, in ar-
 mamentaria nostra (bibliothecas dico) de-
 ducimus: loqui aut differere si velint, audi-
 mus: si nolint, non cogimus, comiterq; o-
 mnes dimittimus. E vestra, & alijs Scholis
 & vrbibus non paucos tam vestræ, quam
 Lutheranae opinionationis interrogare, si qui-
 dem velis, potes. At si quis ad vos nostras
 defert Epistolas, ilicò, quasi ad muros *equus*
 adesset *Troianus*, illas aut Neccaro^f *præcipi- f Aeneid 2.*
tare, Aut terebrare canas uteri, & tontare la-
tebras, oportet. Quanto foret mi *D. Tossa-*
ne, satius, vos paulatim post tot & tantas
 dissensiones, post tot Christiani orbis cla-
 des & dilacerationes; cogitare quæ pacis
 sunt & charitatis: Non porro exasperare
 semper omnia, tantisque animorum plagis
 muriam perpetuo & calcem inspergere.
 Idque publica humanae naturæ, Christianæ
 charitatis, communis pacis præscripta post
 habendo & infringendo. Nam cum semper
 aliàs, tum hoc præsertim tempore, quando
 ad communem ab Hungaria, Germaniaq;
Turcicum hostem propulsandum, subsidia
 tanta, milite pecuniaque fert Ecclesia Ro-
 mana

mana, iustum & probum cum Romanorum, Cardinaliumque literis bellum vobis quod nam esse potest? Et sanè de Illustris^o Electore ac Dn^o. Vestro, de totaque ipsius ditione meremini modo isto non optime. Cum enim illius ad mansuetudinem, humanamque societatem ingenium constet propensissimum, cumq; ipsius Celsitudinⁱ subditos populos finxerit naturæ parens minimè sæuos ac truces, vos dira in alios etiam absentes, designando, efficitis, vt feritatem hic suspicari, secumq; si non apud alios, exclamare queant exteri:

*2 Lib. 1. Ar-
noia.*

*Quod genus hoc hominum? quare hunc
tam barbara morem*

Permittit patria?

Videre in Germania est ita moratas ciuitates, vt si quas fortè alicubi vel abiectas, vel amissas ciuis quispiam inuenerit literas, eas is, prout inuenit, obseratas ad Senatum ferat, hic pari modo ad eos, quorum sunt, destinet. Vt nescias, vtrum eius, qui abiectit aut amisit, perfidiam & iniuriam magis detestere, an huiuscemodi ciuitatum humanitatem & iustitiam admirere. Vos verò neque abiectas, neque amissas vtrò quæritis, rapitis, resignatis, reseratis: neque ad earum dominos postea saltem ire sinitis, sed calumniæ sanguine rubricatis: & peccati vos vestri pudere cum oporteret, id etiam

iam apud summos & sapientissimos homi-
 nes, quasi præclarum quid sponte indicatis
 & prædicatis: ad illorum videlicet exem-
 plum, de quibus propheta: ^h *Peccatum su- b Isai 3 9.*
um quasi Sodoma prædicauerunt, nec abscon-
derunt. Neque tamen satis decuit de tantu-
lis rerum nostrarum minutijs R. discipulo. & Il-
lustrissimo. nostro à vobis exhiberi negoti-
um. Maior maiorum negotiorum magnis
imperij columnis impendet moles, quam
ut ad Epistoliola nostra, vestrasque suspici-
unculas, & criminationum aucupiola cel-
fas illas mentes deuocare oporteat. Non ^{i Ouid li. 2.}
vacat exiguis rebus adisse Ioui. At Ioue ma- ^{Trist.}
iores hi. Scimus enim ait Apostolus, quia ^{1. Cor. 8 4.}
nihil est Idololum in mundo. Qui verò nostris
 vos beavit literis homo, sponte ad vos sua
 venit; an ad nos à vobis subornatus, sum-
 missusque fuit? si prius: decuit sanè Theo-
 logum & Prædicantem eius infidelitati ac
 nequitia non assentiri: sed aut hominis e-
 gregiè impudentiam corripere: aut fidem
 & officium, quod ijs, quorum essent Episto-
 læ, deberet, eum docere: aut certè mini-
 mum acceptas ab eo literas, violato sigillo,
 non euoluere: multo magis nullam ex ijs
 nocendi causam quærere: neque ad occu-
 patissimum Imperij Principem & Septem-
 virum eas ablegare. Cum à te, vti quidem
 narrabat; hac adolefcentior Geneuensis

Goulart

Goulati iter haberet, si clausas signatasque
 tuas habuisset, eas (dicere ausim) violare
 aut inspicere nostrum nemo ausus fuisset.
 Sin verò postèrius, vt eum ad nos homi-
 nem summi seritis; quid dicam, nisi, parcat
 vobis Dominus! Quorum tanto, tamq; fu-
 renti erga nos imbutæ mentes odio, vt non
 solum agatis ipsi malè, sed alijs etiam male
 agendi, plurima fingendi, & mentiendi au-
 ctiores sitis. Nam ille quidem personatus So-
 sias, Catholicum se aiebat: fuisse olim hære-
 ticum, sed è summis, quas grauissimis de re-
 bus inter *Iunium* & alium nescio quem Præ-
 dicantium alpha perspexisset, dissensionib⁹
 ac litibus, consilium Ecclesiasticæ vnitatis
 cepisse: Romam ijsse, ibidemq; omnes hæ-
 reses eiurasse. Illinc, ob certa quædam ne-
 gotia, in Belgium redijsse: Romam tamen
 iterum iam cogitare. Si quid quis eò vellet,
 libenter se ac fideliter, citoq; perlaturum.
 Aliaque id genus plurima, varijs cum testi-
 ficationibus: quorum tamen non nisi par-
 ticulam, cum distinerer alijs; audire potui.
 Supplicio dignos pronunciat Apostolus,
 non eos solum, ^l qui mala faciunt, sed etiam
 qui consentiunt facientibus. Et alibi, cum di-
 xisset, *Fructus lucis est in omni bonitate, & iu-
 stitia, & veritate*, subiunxit, ^m *Nolite com-
 municare operibus infructuosis tenebrarum:
 magis etiam redarguite.* Redarguendi verò
 par-

Rom. 1.32.

*m Ephes. 5.
28.*

partes, cui potius, quam qui concionibus
 populum tener, Superintendenti congru-
 unt? Atque hæc etiam mihi, vt de iniuria i-
 sta paulo tecum agerem copiosius, causa
 non postrema. Sic enim statuebam. Cum in
 D. Tossani manus mea illa venisse scribatur
 epistola, vel ipse est, qui eam resignauit,
 excussit, miniauit, R. dis^o & Illustris^o No-
 stro, calumniandi causâ, misit, vel alius. Si
 ipse: eum post monitionem hanc facti
 pœnitebit, & ab huiuscemodi deinceps fla-
 gitio cauebit. Si alius: eum ipse his ijsdem,
 aut consimilibus alijs rationibus, pro gradu
 & auctoritate, quam apud *Heidelbergenses*
 obrinet, prudenter ac vtiliter monebit &
 arguet; dabitque operam, vt ingenerato-
 rum à natura societatis humanæ, vinculo-
 rum, iustitiæ, pacis, charitatisque Christia-
 næ maior deinceps cura sit: resecetur inde-
 corarum & perniciosarum litium seges o-
 mnis: consulatur nomini & famæ tanti ta-
 lisque principis, quantum & qualem vni-
 uersa scit & colit Germania: nulla eiusdem
 Principis amplissimis, celeberrimisque di-
 tionibus, quasi pacis & belli nullum in ijs
 discrimen, nulla diuini humaniq; iuris ra-
 tio sit; macula inuratur. ^{29.} Si enim, ait S. Am-
 brosius, *in bello iustitia valet, quanto magis in* ^{o 2. Tm 4.}
pace seruanda est? Hoc age, mi D. Tossane,
^{2.} iusta opportunè, importunè, argue, obsecra,
 increpa

crepa in omni patientia & doctrina. Sanam hanc, & ex ipsis naturæ diuiniq; verbi haustam fontibus doctrinam sustinebunt, quibus honestas & decorum cordi: neq; *Pa veritate auditum* auertent. Verè tibi & ex animo dico, si quid esset, quo in Domino tibi, cuiusque vilo modo gratificari & seruire possem, facerem libentissimus: neque pro iniuria, iniuriæ minimū velim reponere. Quod idem ferè de Reuerendissimi ac Illustrissimi *D. Cardinalis*, in quem multis partibus, quam in me *canem*, vt cum Dauide dicam, *mortuum*, & *pulicem unum*, maior iniuria est, candidissimo pectore, mitissimoq; animo polliceri ausim. Est enim ille nō excellenti doctrina tantum, sed rara etiam virtute, Christiana q; charitate, modestia, & mansuetudine ornatissimus. Cuius causâ maiorem è malefacto vestro, quam si in me solum admissum foret, dolorem hausi. Fuerit autem æquissimum, quod cum eum tibi mea hac Epistola patefacere, de eoq; apud te vnum, non conuictijs, sed scripturis, non contumelijs, sed argumentis queri, teq; admonere voluerim æquo pacatoque accipere animo: præsertim cū de re, non de te quidquam voluerim dicere acerbius. Quia verò Autographum adhuc meum retinetis, abs te peto, vt vel ipsi, cui erat inscriptū & missum, Reuerendissimo *Cardinali* mit-

tatis,

p. ibid. 6. 9.

9. 1. Reg. 24. 15.

tatis, vel mihi quam primum licuerit; re-
 mittatis. Quod si tantum vos nostras habé-
 di literas tenet desiderium, en istas iam ha-
 be: quas quia tibi scriptæ & inscriptæ, tuo
 absque cuiusque iniuria lubitu, adpetias,
 reueles; concerpas, & attibeas licet: si que
 velis, alias deinceps, Deo propitio, habere
 plures poteris: sed in vtiliori, meliori, &
 suauiori argumento malim. Deus pacis, &
 qui gentes in vnitate fidei congregauit, spi-
 ritus nos nimium quam alios ab alijs diui-
 sos & distractos, iterum aliquando in San-
 ctissimo Christi Iesu D. ac S. N. Corpore, ^{1. Coloss. 2.}
 quod est Ecclesia, illa vtrique quæ ^{12.} *vna, san-*
cta & Catholica est; coniungat: veraque ani- ^{1. Symb. Con-}
 morum consensione, concordia fide, & cha- ^{stantinop.}
 ritate non ficta, mutuo compingat & con-
 glutinet, vt omnia deinceps facessant scan-
 dala, calumniæ, quadruplaciones & quæ ab
 Apostolo vocantur ^{1. Gal. 5. 19.} *opera carnis, inimici-*
ta, contentiones, amulationes, ire, rixe, dissen- ^{20.}
siones, secta, inuidia, & his similia, quæ, ait, pre-
dico vobis, sicut predixi: Quoniam, qui talia a-
gunt, regnum Dei, non consequentur. Vale.
 Moguntia M. DCI. Nonis Decembribus.

LIBRI SECVNDI EPISTOLA-
RVM FINIS.

IVSTI